ה״
בשש

CREOPHAGIAM ANTE DILUVIUM LICITAM,

DISSERTATIONE PHILOLOGICA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, NEC NON ANGARIAE ET WESTPHALIAE, ETC.

PRAESIDE

IOH. ANDR. DANZIO,

Sacrarum reliquarumque Orientalium Lingu. Prof. Publ. Facult. Phil. Seniore, & h. t. Decano,

AD D. XXI. SEPTEMBR. A. MDCCIX.

IN AVDITORIO THEOLOGICO

defendet

HENRICVS SCHARBAV,

LVBECENSIS.

JENAE,
LITTERIS MVLLERIANIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRIS.

ILLUSTRIBUS, GENEROSIS,

MAGNIFICIS ATQVE CONSULTISSIMIS

DN. JOHANNI WESTKEN,
DN. SEBASTIANO GERKEN,
DN. THOMÆ DE WICKEDE,
DN. ADOLPH. MATTH. RODDE,

INCLYTÆ ac LIBERÆ

REIPUBLICÆ LUBECENSIUM

CONSULIBUS GRAVISSIMIS,

PATRIBUS PATRIÆ

VIGILANTISSIMIS,

MÆCENATIBUS SUIS GRATIOSIS,

DISQVISITIONEM HANC ACADEMICAM

IN OBSEQVIOSISSIMUM

VENERATIONIS ATQVE OBSERVANTIÆ SUÆ

MONUMENTUM

DEVOTE CONSECRARE DEBUIT,

ILLUSTRIUM VESTRORUM NOMINUM

cultor humillimus

HENRICUS SCHARBAU, Lubec.





Æsitanti mihi, auderemne præsentem hancce Dissertationem VESTRIS NOMINIBUS inscribere nec ne; magnum pondus addidit ratio non una, ad scrupulum omnem eximendum. Novi equidem, non nisi magna convenire NOMINIBUS TANTIS; adeoque Tenuitatis meæ nequicquam nescium venerari solum ILLA non appellare debuisse. Sed idem quoque memini: commune esse MAXIMIS INGENIIS, ea, quæ SIBI offeruntur, non ex ejus, quod offertur dignitate, sed offerentis sinceritate metiri. Permittite igitur, specimen hoc meum academicum, auspicato PER-ILLUSTRIUM NOMINUM frontispicio insigniri; nec denegate VESTRAM tot documentis comprobatam in studia eorumque amatores propensionem, specimen hoc mei quoque in studia affectus exhibituro; cum constet, vix quicquam æquè carum VOBIS acce-

acceptumque esse posse, quam Juventutis, quæ VESTRIS AUSPICIIS floret, conatus proficiendi advertere. Venerabundus adeò qualemcunque hanc Dissertationem ad pedes VESTROS. Patroni MAXIMI depono: Id humillimè rogitans, ut quam TANTIS NOMINIBUS parum dignam judico, benevolâ tamen mente excipere, meque adeò hoc tanti Favoris specimine, ad obsequiosissimum VESTRUM cultum, denuò adstringere ne dedignemini. Ego autem, licet facultate inter subjectissimos cultores VESTROS ultimus, nunquam tamen intermittam, ipso opere ostendere, præter admirationem VESTRARUM virtutum, humillimamque Dignitatum VESTRARUM venerationem, nemini affectu ac voluntate me esse secundum. Et si præterea nihil possim, id certè efficiam, ut preces ardentissimas pro VESTRA, consiliorumque VESTRORUM prosperitate ad Deum fundendo ostendum quod sim

PER-ILLUSTRIUM VESTRORUM NOMINUM

cliens ac servus humillimus

HENRICUS SCHARBAV.



CAP. I.

Argumentum.

(1.) Usus & dignitas præsentis materiæ. (2.) Historica recensio Scriptorum Judaicorum, hac de materia. Gemara in Sanhedrin, R. Isaac Aramah, R. Joseph Albo, R. Aben-Esra, R. Menasse ben Israel &c. (3.) Scriptorum Christianorum, Patrum, Justini Martyris, Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti. (4.) deinde Lyrani, Tostati, Carthusiani, Cajetani, Franc. de Victoria, Dominici de Soto, Thomæ, Tornielli, Pererii, Saliani. (5.) Vossii, Bocharti, Hottingeri, Casauboni. (6.) Lutheri. (7.) Controversia hâc de materia, inter Stephanum Curcellæum, *& J. H.* Heideggerum *excitata, cum nuperâ defensione negativæ sententiæ, & Propositione factâ. (8.) Qualem carnem hic intelligamus: & (9.) Quomodo licitum ejus Usum defendamus.*

§. I.



PLurimos quidem, perspecto præsentis Dissertationis titulo, & exigui usus & leviusculam prorsus eam, quam ad manus jam sumo, materiam judicaturos esse suspicor, minimèque dignam, in qua pertractanda aliquid impendatur temporis. Ego tamen

men planè aliter persuasus, positam in frontispicio thesin, & probandam & vindicandam putavi. Quod sciam, nec prorsus defuturum esse usum, nec defuisse jam dudum ex viris maximè doctis, qui suum in hâc materiâ exercuerunt stilum. Quippe non solum hâc occasione lux accesit variis Scripturæ Sacræ locis, præsertim Genes. I. 29. & 30. & Genes. III. 17. aliisque: itemque caput de Sacrificiis antediluvianorum explicatum est: sed distinctio quoque in animalia munda & immunda; & caput de Dominio hominis in bruta, quousque pateat; aliaque, lucem inde fœnerata sunt pleniorem. Ut taceam, quod in quæstione *de Esu sanguinis & suffocati*, inter viros eruditos agitatâ, aliquem quoque usum præstet. Hinc est, quod hanc quoque materiam à tot viris maximi nominis videas pertractatam: ut *Benedictus Pererius* in suis ad Genesin commentariis Lib. XIV. Disput. I. sub initio, p. m. 368. *celebrem Quæstionem* eam nuncupet. Qui & deinde prolixus admodum est, in congerendis variorum hâc de quæstione sententiis. Cumque dignitas præsentis materiæ, non parum constare poterit; si sciamus, â viris magni nominis eam agitatam fuisse: haud abs re erit, aliquos eorum prius recensere, qui hanc materiam sibi pertractandam sumserunt, quàm ipsius rei Tractationem aggrediamur.

§. II. Ut initium faciam â Judæis: illi in Gemara ad *Sanhedrin*, prout hæc Joh. Coccejus in Excerptis Gemaræ ad *Sanhedrin* cap. VII. §. VII. p. m. 275. exhibet, ad quæstionem hanc, ita respondent: אמר רב יהודה אמר רב אדם ראשון לא הותר לו בשר לאכילה דכתיב לכם יהיה לאכלה ולכל חית הארץ ולא חית הארץ לכם וכשבאו בני נח התיר להם שנ׳ כירק עשב נתתי לכם את כל: i. e. *Dixit R. Jehuda, docuisse Rabum, Adamo primo esus carnium concessus non fuit, quoniam dicitur Gen. 1. 29. 30. vobis erit in cibum, & omni bestiæ. Non autem: bestia vobis in cibum erit. Postea vero Noachidis*

permissus est: q. d. Gen. IX. 3. sicut olus graminis dedi vobis omnia. Cum quibus consentit *Isaac Aramah*, qui in עקדת יצחק cap. XV. sub finem, fol. m. 47. col. 3. ita disserit והנה אחר שהזכיר הממשלה הראשונה הצוריית אשר היא העקר זכר הממשלה הגופיית אשר היה לספוק המזונות ויתר העבודות אשר היא טפלה אליה בלי ספק ואמר כל רמש אשר הוא חי לכם ולזה לא התיר יהיה לאכלה וגו׳ Et paulò post: לדורות הראשונות לאכול מבשר הבעלי חיים כי לא יחליפנו ולא ימיר אותו בהמה בבהמה וכל שכן שהיו יותר נשחתים ונפסרים מבהמות הארץ וגו׳ i. e. *& ecce postquam mentionem fecisset dominii prioris, formæ humanæ tributi, quod principalius est; mentionem quoque facit dominii materiæ, vel corpori collatæ, quod in sufficientiâ alimentorum, & servitiorum præstantiâ consistit, & absque dubio prioris est accessorium: dum dicit* Gen. IX. 3. *omne reptile, quod vivit, vobis erit in cibum. Atque ea propter non concesserat primævis hominibus, ut ederent de carne animalium. Nemo enim permutando dare aut accipere solebat bestiam pro bestiâ: quanto minus, quod majus omnino fuisset, interemta fuerint aut occisa.* Idem docet R. Joseph. Albo in ספר עקרים. Nam non solum lib. III. cap. XIV. pro negativâ affert verba majorum suorum שהיה אסור לאדם הראשון *quod fuerit interdictum primis hominibus* כי בתחלה לא התיר להם אכילת בעלי חיים: *cum in principio non fuerit ipsis permissum edere animalia.* Sed & deinceps Cap. XV. fol. 77. b. post med. edit. Venetæ, de Habele ita loquitur: והבל היה חושב שיש לאדם יתרון על הבעלי חיים ואבל חשב שהיתרון הזה הוא שיהיה לו ממשלה עליהם ויכבוש אותם

 תחתיו

תחתיו לעשות מלאכתו אבל לא שיהיה מותר בהריגתו כי לא חשב שיהיה לאדם יתרון על הבעלי חיים בזה וגו'. i. e. *Habel fuit in ea opinione, quod homo excelleret præ animalibus. Sed persuasus erat, excellentiam istam in eo consistere, quod dominium in ea exerceat, & possit eadem sibi subjicere, quò suum faciant opus: non tamen, quod licitum fuerit, isthæc occidere. Quoniam non persuasus fuit, eo usque sese extendere hominis excellentiam super bestias.* Ubi idem subjungit: *Habelem tamen credidisse, id sibi fuisse licitum, ubi oblationem supremo Numini constituisset exhibere.* Uti hi hactenus omnes non crediderunt licitum ante diluvium carnium usum: ita in eâdem quoque opinione est *R. Aben Esra*, qui in Commentario ad locum Genes. I. 29. 30. inquit: התיר לבני האדם ולכל שיש בו נפש חיה לאכול כל עשב וכל פרי עץ מותר לאדם והעשב הירק לחיות ולכל רומש ועד כה לא התיר הבשר עד אחר המבול' i. e. *permisit filiis Adam, & omni in quo est anima viva, comedere omnem herbam: & omnis quidem fructus arboris concessus est homini; at herba viridis bestiis, & omni reptili. Sed huc usque non permisit carnem, nisi post diluvium.* Nolo ex his plura afferre. Audiendus tamen *Menasse ben Israel*, qui in Conciliatore suo, quæstione IX. inquit: *R. Selomoh, Aben Esra, R. Moses Girundensis, R. Bahye, R. Nisim, Isaac Kary, Isaac Aramah, Isaac Abravanel, & R. Moses Alschech, qui ad hunc locum sequuntur opinionem R. Jehudah & Rab in Gemara Sanhedrin*, c. VII. & *Raboth, cap.* 34. *in eo consentiunt: Adamo nefas fuisse, comedere animalia.* Qui videri potest pluribus.

§. III. Neque hanc video solum tractatam â Judæis: sed ejusdem quoque explicationem aggressi sunt è Christianis plurimi. Jam enim Seculo secundo *Justinus Martyr*, (aut quicunque illarum auctor est,) in Responsionibus

nibus ad quasdam Quæstiones Christianas, hanc quæstionem num. 119. proposuit p. m. 471. εἰ μήτε τοὺς ἐκ τῶν δένδρων καρποὺς, μήτε τῆς τῶν κρεῶν ἐδωδῆς, οἱ πρὸ τοῦ Κατακλυσμοῦ μετελάμβανον, καθὼς τινὲς τῶν πατέρων ἐδίδαξαν, πῶς ὁ Ἀβελ ἐκ τῶν στεάτων τῶν προβάτων, ὧν ἐποίμανε, καὶ ὁ Κάϊν ἐξ ὧν ἐγεώργει καρπῶν τῆς γῆς, ὁμοίως προσέφερε &c. i. e. *Si nec arborum fructibus, nec animalium carnibus vescerentur, qui fuerunt ante diluvium, ut nonnulli patrum dixerunt; quî fit, ut Abel ex adipibus ovium, quas pascebat, itemque Cain ex fructibus terræ, quam colebat, libaverit?* Et in responsione ait: non esse credendum, obtulisse eos talia, qualia ipsis fuerint inutilia. Et de Abele concludit, nec eum ita gregem pavisse, ut de ipso non comederit, (iuxta illud 1. Cor. IX. v. 7. *quis pascit gregem, & de lacte gregis non comedit?*) Exponit quoque idem suam sententiam in *Dialogo cum Tryphone* p. m. 237. Contrariam huic opinionem fovet, referente Saliano Eccles. annal. p 156. ad annum Mundi 1657. *B. Hieronymus* contra Jovinianum lib. 1. *Esum carnium usque ad diluvium ignotum fuisse: post diluvium verò, quasi in Eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris nervos & virulentias carnis ingestas.* Etiam B. Chrysostomus in Homiliis suis in Genesin, passim hanc materiam sibi sumit pertractandam: infrà ideò sæpius allegandus. Sed quem penè omiseram *Theodoretus* quæstion. LV. in Genesin pag. 44. edit. Paris. cum hanc Quæstionem movisset. Διατί δὲ ὅλως τὴν κρεωφαγίαν ἐνομοθέτησεν; *cur* DEUS *planè de carnibus edendis legem tulerit?* Respondet: *Mox ubi creasset hominem* DEUS, *dedit ei terræ fructus, --- post diluvium autem majores illi delicias largitur; jubens occidere animalia, volatilia, natalitia & terrestria. Videlicet affectum repellens affectu, & leviori curans graviorem. Prævidens enim DEUS, homines, in extremam dementiam lapsos, hæc omnia pro diis habituros; permisit illorum esum, ut impietatem illorum cohiberet. Summa enim est insania, adorare quod comeditur.* Ut videatur hic adeò statuisse, esum carnium ante diluvium prohibi-

hibitum, divinâ permittente bonitate, factum esse licitum.

§. IV. Post hæc tempora, eadem quæstio, ferente sic occasione, â plurimis agitata fuit. Supersedeo recensere sententias *Lyrani, Tostati, Carthusiani*, in commentariis suis expositas, & â Saliano, item & Pererio productas; affirmantium, *esum carnium nec fuisse in usu ante diluvium, nec licitum.* quod DEUS post diluvium, Noacho & filiis ejus carnium usum concesserit. Taceo ab iisdem productum *Cajetanum*, qui pluribus probat sententiam, *licitum fuisse carnium esum: Franciscum de Victoria* in Relectionibus de Temperantia, idem asserentem: *Dominicum de Soto, Thomam Torniellum* atque alios. Ipsum *Pererium* potiùs audire juvat. Qui Commentariorum in Genesin Lib. XIV. Disp. 1. p. 369. sententiam suam proponit. Quod, *quamvis licitus fuerit carnium esus ante diluvium,* (unde nec DEUS post diluvium esum carnium indulgendo, ex illicito licitum fecisse; sed significasse, tunc incepisse ejus indigentiam, propter infirmam hominis valetudinem, terræ malignitatem, & invalidam eorum vim, quæ è terra nascuntur): *tamen,* cum propter excellentem terræ bonitatem, & vim alimenti præstantem, & firmissimum humani corporis temperamentùm, *victus ex plantis homini alendo suffecisset,* &, cum iste cibus saluberrimus, jucundissimus, & nullo labore parabilis esset; *verosimillimum esse, eo tantum cibo viros bonos uti voluisse.* In eo, quod licitus fuerit carnium esus, conspirat cum isto *Jacobus Salianus* in annalibus Ecclesiasticis V.T. ad annum mund. 1657. num. XV. p. m. 155. seq. Qui in hac quæstione solvenda, quatuor Propositiones ponit, easque probat. Ima est, *nunquam in lege naturæ,* sive ante diluvium, sive post, *esum carnium prohibitum* fuisse; ac ne divinam quidem legem id unquam prohibuisse. 2da, nunquam præceptum esse homini, *hujusmodi cibum*; sed *permissum,* & quidem *tacitè ante diluvium*; â diluvio vero apertè. 3tia, *non esse credibile, homines* vulgò *à car-*

nibus

nibus ante diluvium *abstinuisse*. 4ta est, Et probabile esse, *nec justos* ante diluvium *à carnibus abstinuisse.*

§. V. Eandem quoque materiam tangit *Joh. G. Vossius* de Orig. & Progressu Idololatriæ, Lib. III. cap. LXV. p. 1074. qui, postquam argumenta, tam pro negativa quam affirmativa sententia, adduxerat, inquit: *videntur sententiæ hæ duæ sic commodè conciliari posse, si dicatur:* quicquid sit de stirpe Caini, *Sethi* saltem *familiæ ordinarium fuisse cibum, cum è lacte tum è plantis;* sed contra ordinem carnes edisse in sacrificiis. Et provocat ibi ad consensum *Francisci Junii.* Licitam fuisse creophagiam docet quoque *Samuel Bochartus* in Hierez. Lib. I. cap. II. p. m. 11. *Sacrificiorum usus*, inquit, *cum sit diluvio antiquior, idem nobis de pecudum esu persuasum;* contra quam multi sentiunt. Neque enim Abel in Sacrificio obtulisset DEO, quod vesci nefas credidisset: & frustrà pavisset agnos, quibus non licuisset uti. Quin ipsa distinctio animalium in munda & immunda, docet, alia permissa fuisse, alia prohibita. *Neque* enim *in animalibus quicquam sua natura immundum;* sed immundum id est ex Lege, cujus usus interdicitur &c. Affinia hisce sunt, quæ habet J. H. *Hottingerus* in Historia Creationis, Quæst. XCV. p. 307. Nam post allata ex utrâque parte argumenta, asserit, (1.) nullam dari posse rationem, quæ edendi licentiam aut facultatem tollat: (2.) *abstinuisse tamen aliquôusque, valdè esse verisimile.* (3.) naturæ tamen arbitrio hoc tribuendum, non religionis exercitio. In contrariam ex adverso sententiam labi videtur *Isaacus Casaubonus*, in Animadversionibus suis ad Athenæi Diphnosophistῶν libros, (quos instructissimum penu Criticæ eruditionis, summo jure vocat *Morhofius*, Polyhist. Tom I. Lib. V. c. 1. n. 14.) p. m. 35. ad lib. 1. Athenæi cap. XI. *satis* inquit, *constat, tam ex sacris, quam aliis literis, primis temporibus, ignotâ hominibus carnium manducatione, tantùm in honorem Numinis mactari solitas hostias.*

§. VI.

§. VI. Ex noſtratibus unicum affero *B. Lutherum*, qui ad caput IX. comment. in Geneſin, fol. CXLII. inquit: Etſi *poſt conditam creaturam, omnia animalia homini ſubdita ſint; tamen non legimus, beſtias ſic timuiſſe & fugiſſe hominem, ſicut hoc in loco Moſes teſtatur.* Cauſa autem eſt, quod *hactenus animalia non fuerunt morti deſtinata, ut eſſent cibus homini;* ſed fuit homo tanquam civilis Dominus beſtiarum, *non fuit occiſor aut vorator.*

§. VII. Sed, quæ res hactenus liberè in utramque partem diſputabatur; in controverſiam demum venit inter *Stephanum Curcellæum,* & *Johannem Henricum Heideggerum.* Cum hic J. H. Heideggerus, in tractatu anno 1662. Amſtelodami in 8vo editô, de libertate Chriſtianorum â lege cibariâ veterum, de ſanguine & ſuffocato, cap. inprimis II. & III. & pag. 15. omnino licitum, & in uſum productum carnium eſum affereret. At contrarium antea defenderat jam citatus *Steph. Curcellæus,* in Diatribe, de eſu ſanguinis inter Chriſtianos. Scilicet cap. I. ex eo, quod (1.) DEUS, ubi homini de alimento Geneſ. 1. 29. 30. proſpicere voluerit, nullam prorſus carnium animantium fecerit mentionem. (2.) quod non conveniſſet excellentiæ, in quâ homo fuit conditus. (3.) quod videamus infantium, in quibus ſe natura oſtendit, propenſionem: & quæ alia ejus generis argumenta ſunt. Capite deinde IIdo, quod idem nefas homini fuerit, ſtatim poſt peccati in mundum ingreſſum. & Capite IIItio, ubi reſponſionem exhibuerat ad objectiones eorum, qui putarent, carnium eſum ante diluvium fuiſſe permiſſum. Verum, cum quis Vindicias adverſus Heideggerum, pro Curcellæi ſententia compoſuiſſet; *apologeticam* denuò *exercitationem* exhibuit *Heideggerus*, quæ eſt Exercitatio XV. Part. I. in ipſius ראשי אבות, ſeu Hiſtoria ſacra Patriarcharum, â pag. 390. ad 430. Ex quibus ut quædam repetamus, noſtri inſtituti ratio vix permittit. Cumque denuò ante aliquot annos, negativa ſententia in obſervatione

tione

tione aliquâ, (vom Fleisch-Essen) in scenam producta fuerit: argumentum putavimus satis idoneum, in quô aliquid impenderemus temporis, ostendendo contrarium, scilicet: *licitum fuisse hominibus ante diluvium carnes comedere.*

§. VIII. Illud autem præmonendum necessum esse videtur, ejusmodi generis carnes â nobis intelligi, quæ & ad cibum essent idoneæ; & quæ, ne in cibum adhiberentur, communi forsan usu non erant rejectæ. Alias enim carnes, aliis magis minusve ad cibum esse accommodatas, & ipsi satis novimus: & docuit idem *Gerhardus Joh. Vossius*, de Origine & Progressu Idololatriæ, Lib. III. cap. LXV. p. m. 1073. sq. Unde & est, quod *Athenagoras* Philosophus Christianus, in tractatu de Resurrectione mortuorum, quædam animantia vocat πρὸς τροφὴν ἀνθρώποις ἐπιτήδεια, i. e. *hominibus ad cibum idonea.* Neque improbabile prorsus est, observatum inde *discrimen* fuisse jam ante diluvium, *animalium mundorum & immundorum:* quod illorum receptus esset in cibum usus; horum vero communi usu recepta aversatio. Quod infra plurium testimoniis illustratum dabimus. Nam eò non procedimus audaciæ, ut vel promiscuum ipsis vindicemus carnium esum, vel Thyestea quoque convivia. Qualia deinceps, ab hæreticis variis celebrata, passim reperiuntur: sed ita, ut merito credamus, commentitia hæc esse, quæ de hæreticorum ἀνθρωποφαγίᾳ circumferuntur, & vulgi fabulas. Videmus enim, plerosque ex Patribus, non dubitare modo hujus de rei veritate; sed ita quoque loqui, ut fidem huic planè derogent. Certè *Justinus Martyr*, ubi in Apologia II. pro Christianis, p. m. 70. (ed. a. 1686.) *Simonis Menandri* alicujus, & *Marcionis*, Hæreticorum mentionem fecerat, addit: εἰ δὲ καὶ τὰ δύσφημα ἐκεῖνα μυθολογούμενα ἔργα πράττουσι, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν, καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, οὐ γινώσκομεν, i. e. *an verò etiam infamia illa, & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora, in se admittant, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & hu-*

 mana-

manarum carnium esus, nescimus. Ubi satis apparet, Justinum dubitasse, annon commentitia essent, quæ de hæreticorum sibi σύνχρέγνων ἀνθρωποφαγία, in vulgus spargebantur: imò pro μυθολογεμένοις habuisse. Vid. quæ plura hâc de re ex Tertulliani Apol. Cap. VII. IIX. & Minutiô Felice, & Hieronymô Epist. LIV. ad Marcell. Philastrio hæres. XLIX. aliisque, refert *Christianus Kortholt*, in suo ad *Justinum Martyrem* commentario, p. m. 17. ad l. c. *Justini*. Ubi ulterius provocat ad suum tractatum, de vita & moribus Christianorum primævis, per Gentilium malitiam afflictis, cap. IX. 4. sq. Multò magis id certum est, calumnias inimicorum Christiani nominis fuisse, quæ de primorum Chistianorum ἀνθρωποφαγία circumferebantur. Pro quorum innocentia, acriter pugnant, tum *Augustinus* Lib. XIIX. de Civitate DEI, cap. LIII. *Eusebius* Histor. Eccl. passim, tum *Justinus Martyr* apol. I. pro Christianis p. m. 37. sq. Talia convivia igitur, quæ semper detestationi fuerunt omnibus, rejicimus potius, quàm ut licita defendamus; cum *carnem iis vindicemus & idoneam*, & *communi* forsan *usu receptam*. Etsi non desint, qui ne ab hac quidem impios ante-diluvianos sibi temperasse asserant: ut ex Beroso retulisse Cajetanum, narrat Salianus, in annal. Eccles. ad ann. mundi 1657. pag. 116. n. XXII. Ubi & Eusebium non alienum ab hâc sententiâ fuisse, asserit.

§. IX. Commodarum igitur carnium esum, an licitè admittere potuerint ante-diluviani, quæritur? Equidem qui de κρεωφαγία scripserunt ante-diluvianorum, ut ex superioribus constare potest, in duas discedunt classes. Alii enim quærunt: *an isthæc actu fuerit exercita?* seu: an ante diluvium carnes comestæ fuerint? Alii vero *de licentiâ tantum quærunt*, an eam habuerint in carnibus comedendis? seu: an licitum ipsis fuerit carnes comedere? Nos equidem priorem quæstionem intactam relinquimus, neque

argu-

argumentis pro actuali comestione pugnantibus utemur; nisi in quantum exinde *Jus comedendi* constare poterit. Neque enim malè me ratiocinaturum esse credo, si ita concludam: *Viri ante diluvium licitè carnibus usi fuerunt; E. licitus fuit viris ante-diluvium carnium esus.* Ad posteriorem autem quæstionem ita respondebimus, ut affirmativam teneamus, respondendo: *Licitum fuisse ante diluvium carnium esum.*

§. X. Quamvis autem explicatione vix indigere credamus terminum *liciti*; cum quilibet, eo audito, concipiat *Potestatem aliquid agendi Legibus concessam*, aut relictam. Monendum tamen est, vocabulum hoc nequaquam in eo significatu à nobis accipi, ut id solum notet, quod hominum pœnæ non subjacet: etsi non admitti possit salvâ pietate, & officiorum regulis. Uti quibusdam populis impunè licebat furari. Quam quidem vocis significationem minus propriam esse, receptam tamen, ex Cicerone docet *Hugo Grotius* Lib. III. c. 4. §. 2. n. 2. de J. B. & P. Quæ vero aliæ vocis *liciti* significationes esse possint, quales l. c. affert H. Grotius, & qui ipsum commentariis illustrarunt, repetere hic non vacat. Sufficit enim notasse, mentem nostram eò redire, ut doceamus: *Viros antediluvianos potestatem habuisse, lege sibi concessam aut relictam, carnibus vescendi.* Ut vel inde adeò pateat, quod, etsi non expressis literis concessa reperiatur ante diluvium comestio carnis, uti post diluvium concedebatur; nihilominus tamen ex aliis argumentis, eadem satis firmiter concludatur. Cum circa isthæc libertate me gaudere, credendum sit, circa quæ lex impedimentum mihi non ponit: nec adeo necesse videatur, expressè in legibus aliqua permittere, quorum licentia ex absentiâ interdicti, satis apertè colligitur.

CAP. II.

Argumentum.

(1.) Primum argumentum, ex licitô post diluvium carnium esu, petitum. (2.) Indorum modernorum de esu carnium opinio. (3.) diversæ opiniones de abstinentiâ à carne Pythagoræ, & causâ hujus incertitudinis. (4.) vera Pythagoræorum sententia proponitur. (5.) discrimen observabatur ratione Subjecti: (6.) ratione objecti: (7.) ratione Temporis. (8.) An Paupertas fuerit causa istius abstinentiæ? (9.) an credita à Pythagoricis μετεμψύχωσις causa fuerit? (10.) Quantum valeat argumentum de non offerendis in sacrificium animalibus? & alia (11.) Argumenta pro licitô carnium esu, (12.) & licitâ animalium cæde. (13.) Unde concluditur: pro licitô ante diluvium carnium esu. (14.) Argumentum secundum, ex Dominio hominis in animalia. Ubi hominis præ reliquis creaturis præstantia, & inde ad dominandum aptitudo, exponitur. (15.) quod ipsi etiam à DEO concessum. (16.) In quo istud constiterit, & quomodo inde fluat licentia animalibus vescendi? variis argumentis ostenditur. (17.) An istud dominium totam imaginem Dei absolverit? Et, num dominium in solâ nominum impositione, accessuque animalium ad Adamum constitisse, dici poterit? & quomodo hoc dominium non concedat aliquem abusum? (18.) Argumentum tertium, ex observatâ inter bestias differentiâ. Quarum prima est, inter cicures & feras: (19.) secunda, inter pingues & minus pingues: (20.) tertia, inter mundas & immundas. (21.) Argumentum quartum, ex ritu Sacrificandi, seu Sacrificiis ante-diluvianorum desumtum. (22.) Alia prætereà argumenta brevibus indicata.

§. I.

§. I.

NOstram igitur mentem propositeuri, *primum argumentum* inde sumemus: quod omninò hodiè liceat carnibus vesci; indèque pateat, idem etiam ante diluvium licuisse. In quo quidem argumento pertractandò, eò erimus prolixiores; quò majores hæc quæstio Moralistis & Juris naturæ peritis strepitus dedit: & quò major argumentorum vis tùm ex parte negantium, tùm ex parte affirmantium allata fuit. vid. *Puffendorff.* lib. IV. cap. III. 4. sq, *Seldenus* de Jure N. & G. ex mente Ebræor. lib. VII. c. I. & *H. Grotius* in annot. ad Genesin passim. Quodque, ubi evictum illud fuerit, non adversari Juris Naturæ regulis istum carnium esum, hisce temporibus, non levi argumento demonstraverim, neque ante diluvium, id lege divinâ æternâ & immutabili fuisse vetitum. Nequaquam enim id DEUS post diluvium fuisset concessurus, quod ante istud, per Naturæ legem fuerat prohibitum: cum nemini ignota sit legis naturæ immutabilitas. Præsertim cum nec lege scriptâ iste carnium esus ullibi deprehendatur interdictus. Ut adeò, cum credam, materiam nostræ quæstionis lucem inde foeneraturam esse non exiguam, non inutile erit, in hôc argumentô deducendô paululum esse prolixiores.

§. II. Multi equidem adhuc dum sunt inter remotos Indiarum populos, quibus hæc menti infixa est opinio: grande se committere piaculum, si carnes comedere auderent, uti, juxta Dn. *Puffendorffium*, docet *Abrah. Rogerius* de *Brachmanibus*: Enimvero cum non adeò certi reddi queamus, quænam vera sit illorum sententia: cumque non adeò rationibus nitantur, quam merâ consuetudine: hosce ut suô abundare patiamur geniô, necessum est. Credibile tamen est, cum admodum illis sit in pretio metempsychosis Pythagorica, eos etiam hanc de abstinentiâ à carne opinio-

opinionem Pythagoræis acceptam ferre debere. Istos igitur fontes aggrediemur, ex quibus profluxerit hæc opinio: Pythagoræorum scilicet indagabimus consuetudinem; ut, quibus demum istæc nisa fuerit fundamentis, ubi constet, quid in eâ sive laudandum sit, sive rejiciendum, exhibeamus.

§. III. Et ne quid istis falsi affingamus, expedienda hic in antecessum est quæstio: *An Pythagoras, & qui illum sequebantur, carnibus animalium abstinuerint?* Simpliciter hoc affirmare videtur *Laertius, in Pythagora*, Lib. VIII. Segm. 12. p. m. 498. Nam, postquam de eô ex tertiô commentariorum *Phavorini* dixisset: λέγεται δὲ καὶ πρῶτος κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητάς. καὶ πρῶτόν γε Εὐρυμένην, τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς σωμασκούντων αὐτούς, i.e. *Fertur vero & primus carnibus athletas exercuisse, primumque Eurymenem, antea caricis & mollibus caseis corpora nutrire solitos*; maluit hoc ad alium quendam ejusdem nominis Pythagoram, ἀλείπτην τινὰ *aliptem quendam* transferre: (In quo etiam, teste *Ægid. Menagio* in notis, consentientem habet *Porphyrium & Jamblichum*,) quàm ut de hôc nostrô Pythagorâ Samio id dictum esse, admittat. Ob hanc potissimum rationem, quam addit: Τοῦτον γὰρ καὶ τὸ φονεύειν ἀπαγορεύειν, μὴ ὅτι γε ἅπτεσθαι τῶν ζώων, κοινὸν δίκαιον ἡμῖν ἐχόντων ψυχῆς; i.e. *Hunc enim vel occidere vetuisse: tantum abest, ut animantia gustari vellet, commune nobiscum jus habentia animæ.* Quod idem etiam sentire *Jamblichum*, patet ex iis, quæ *Joh. Schefferus* de nat. & constitutione Philos. Pythag. adducit, ex lib. illius 1. c. 34. Πυθαγόρειοι τῶν ἐμψύχων ἀπείχοντο, ὅτι τὰ τοιαῦτα τῶν βρωμάτων παχύνει τὸν νοῦν, περιθρεμμώτερα ὄντα, καὶ πολλὴν ἀνάδοσιν ποιοῦντα. i.e. *Pythagoræi animatis abstinebant, quod hujusmodi cibi mentem reddant crassiorem: eò quod nimium nutrimenti ac digestionis præbeant.* Et eodem fundamento niti, haud improbabile est. Quod *Gryllus Ulyssi* objicit, apud *Plutarchum* in Tractatu, quod bruta animalia ratione utantur, Tom. II. oper. p. m. 991. (verba istius ex versione

Guil.

Guil. Xylandri ita ſe habent:) *Homo gulæ ſtudio ad omnia ſe ferens, omnia tentans, omnia guſtans: ut ſui & naturæ ipſius convenientis ignarus etiamnum nutrimenti, ſolus inter omnia animalia carnibus veſcitur. Primùm utitur carnibus, nullâ cogente inopiâ, nulla penuriâ: cùm liceat ei quovis tempore alios è ſeminibus & plantis decerpere cibos, multitudine nunquam defuturâ. Sed luxuriâ, & ſatietate neceſſariorum, alienas & pollutas cædibus animalium eſcas ſectatur; immanitate etiam ſævisſimas vincens feras. Sanguis enim & cædes ac carnes milvo, lupo, draconi conveniens ſunt cibus; homini autem obſonium.* Taceam alios, quos citat *Joh. Schefferus* l. c. cap. XIV. p. 145. Non autem hæc adeò ſunt extra controverſiam, ut concedere neceſſum habeamus omnia. Neque enim rationes Pythagoræorum additæ id evincunt: de quibus deinceps videbimus. Imò contrarium docent tot magnorum virorum teſtimonia. Adeò ut *Ariſtoxenus* etiam aliquis, in vita Pythagoræ, expreſsè aſſeruerit, quod ex *Athenæi* lib. X. c. 4. refert *Joh. Jonſius*, de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſopicæ, lib. I. cap. XIV. p. 74. quod ὀυκ ἀπείχετο ἐμψύχων, *non abſtinuerit animatis.* Et *Diog. Laëtius* ex eôdem *Ariſtoxeno* refert, *cuncta illum animata in cibum permiſiſſe, bove aratore & ariete exceptis.* vid. l. c. Segm. 20. p. m. 505. Cauſam ſi quæſiveris hujus incertitudinis & inconſtantiæ autorum, reſpondebit facilè pro nobis ex Ariſtoxeno, *Diog. Laërtius* l. c. p. m. 501. frequenter Pythagoræis in ore fuiſſe: μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά, i. e. *non omnibus pandenda eſſe omnia.*

§. IV. Enimvero ut dicamus, quæ vera Pythagoræorum (neque enim attendimus hic diſcrimen, quod alii inter Pythagoræos, Pythagoricos, & Pythagoriſtas obſervatum annotarunt, uti ex *Suida* & *Jamblicho* docuit *Ægid. Menagius* in not: ad *Laërtii* lib. VIII. Segm. 30.) fuerit ſententia. Neque admittenda ſunt ea omnia, quæ de iis dicuntur, quod carnibus in univerſum abſtinuerint: neque ea quoque, quæ de iis dicuntur, quod quaſcunque carnes,

absque omni ſelectu in cibum adhibuerint. Sed temperabant illarum uſum, tum ratione *ſubjecti*, tum ratione *objecti*, tum ratione *Temporis*.

§. V. Scilicet ratione *Subjecti* magnum omnino obſervabatur diſcrimen, ut non æquè permiſſa eſſet κρεωφαγία omnibus. Nam prout maxima erat diſcipulorum Pythagoræ diverſitas, quod *Schefferus* l. c. cap. XI. per totum docet: ita & diverſitas obſervabatur in eo, ut, quem aliis licitum concedebant carnium eſum, eum aliis minus concederent. Unde eſt, quod, cum *Porphyrius* in quatuor libris de abſtinentia, ſeu de non necandis ad epulandum animantibus, indicare vellet, ad quos præcipuè hæc omnia dirigeret, p. m. 50. ex edit. *F. de Fogerolles* dicat: πρῶτον μὲν ἰςέον, ὡς ἐ παντὶ τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ὁ λόγος μου τὴν παραίνεσιν οἴσει. οὔτε γὰρ τοῖς τὰς βαναύσους τέχνας μετερχομένοις, οὔτ' ἀθληταῖς σωμάτων, ἐ ςρατιώταις, ἐ ναύταις, ἐ ῥήτορσιν, ἐ τοῖς τὸν πραγματικὸν βίον ἐπανελομένοις, &c. i. e. *Primum igitur ſciendum, non eſſe mei inſtituti, ex æquo omnibus in hâc vitâ perſuadere. Neque enim quæſtuariis operarum opificibus: neque certaminum exercitio gaudentibus: neque rei militaris ſtudioſis: neque nautici periculi expertis: neque facultatis oratoriæ peritis: neque humanis negotiis occupatis*, ſcilicet perſuadere conabimur. Et addit: ἀνθρώπῳ δὲ λελογισμένῳ &c. quæ ex verſione citati autoris ſic ſe habent: *Solum enim virum bonum, ſcientem & induſtrium illa requirit, quique noverit, quando, & unde, quove illi progrediendum; quoties alternantibus vitæ hujus curſum objectis, vivendi modum, aut aliud ex officio eligere ſibi proponit.* οὐδὲν ἂν πρὸς τοὺς ἄλλους, ἢ τοιούτους γρύξαιμεν ἄν, *huic* inquam, *& non aliis, adverſus quos ne hiſcere quidem vellem.* Neque obſcurè idem innuit *Porphyrius* l. c. p. m. 102. ubi in refutatione objectionis, carnes & earum eſum valetudini admodum eſſe convenientem, & corpora vegetiora reddere, quam pag. 34. adduxerat, inquit (verba ipſa latina ex edit. c. Lugduni 1620. apponam:) *Quod ſi ad Milonis robur inanimata parùm conferunt,*

runt, neque omnino ad partium amplificationem aut virium intensionem prosunt, meminisse juvabit, neque corporis robore, neque partium amplificatione, opus esse Philosopho, qui rerum contemplationi, non cupediæ aut libidini animum adhibet. Et colligere idem licet ex eo, quod p. m. 105. dicat: τηρεῖν τε χρὴ τὴν ὑγίειαν, οὐ φόβῳ θανάτου, ἀλλ' ἕνεκα τοῦ μὴ ἐμποδίζεσθαι πρὸς τὰ ἀγαθὰ, τὰ ἐκ τῆς θεωρίας, i. e. *conservare autem oportet valetudinem, non metu mortis; sed ne impediamur in bonis, quæ ex rerum contemplatione accedunt.* Scilicet illis præcipuè hanc commendatam volebat abstinentiam, qui θεωρητικοὶ dicebantur, & quorum finis esset *contemplatio.* Licet nec improbabile sit, quod *Schefferus* l. c. ex *Jamblicho* docet: *Legumlatoribus* quoque idem fuisse præceptum. Ita tamen, ut nec improbaret, si etiam reliqui idem observarent, sive βέβηλοι essent sive θυραῖοι. Cum *utile* in universum esse statueret: *nullas carnes comedisse.*

§. VI. Sed enim quamvis concederetur aliquibus carnium esus; non id tamen de omnibus promiscuè est accipiendum: sed discrimen quoque observari volebant ratione *objecti*, seu illius, quod comedendum erat. Nimirum inter animata, *piscium usus interdictus* erat *omnibus:* & vesci iisdem, res erat haudquicquam defendenda: quantum quidem ex *Plutarcho* nobis constat. Qui Sympoſiacῶν lib. VIII. quæstionem hanc ponit octavam, p. m. 728. *Quare Pythagorici animalium maximè pisces pro cibo sint aversati?* Nam mediocriter reliqua animalia & mactasse ait, & comedisse; sed piscem vel gustare detrectasse. Imò adeo detrectasse, si Theoni grammatico, quem ibi loquentem introducit, fides habenda; ut hinc & Salia aversati fuerint, ad imitationem Sacerdotum Ægyptiorum: ne vel cibum vel condimentum mari vicinum, ceu piscium receptaculo, usurparent. Et paulo post p. 730. B. Unde Pythagorici ἥκιστα τῶν ὄψων ἐχρῶντο τοῖς ἰχθύσιν, ἢ τὸ παράπαν οὐκ ἐχρῶντο, i. e. *minimè, aut omnino nequaquam piscibus usi sunt pro cibo.* Quæ causa etiam est, quod

Pytha-

Pythagoras, redemtis piscium capturis, eos dimitti jusserit. Quod idem *Plutarchus* refert in suo, de capienda ex hostibus utilitate, libello, p. m. 91. *Diogenes Laërtius* tamen in Pythagora, Segm. 20. marinis σπανίως, seu raro ipsum usum fuisse, docet ex *Aristotele.* Præcipuè vero detestabatur Erythino vesci & Melanuro. Quod & ex Jamblicho confirmat *Menagius*, ad istum locum. Modo id non symbolicè accipiendum, prout id ipsum explicatur à *Plutarcho*, in libello de puerorum institutione. Inter terrestria, aversabatur maximè *cædem animalium mansuetorum*, & *non ferorum.* Παντὸς ἡμέρου ζώου φόνον ἀπηγόρευε, *maximè non feri animalis cæde interdixit:* & inter istæc, cæde potissimum *Tauri* & *arietis.* Quod *Aristoxenus* apud *Laërtium* fatetur, l. c. licet omnia reliqua animalia, in cibum ipsum concesisse, dicat. Et quidem de *Tauro* idem docet *Ovidius*: ubi Pythagoram de boum mactatione ita introducit loquentem, Metamorph. lib. XV. vers. 120. sqq.

Quid meruêre boves, animal sine fraude dolisque
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi demto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare suum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes; percussit colla securi.

Unde & gladius dicitur malignus, quo primus taurus confossus est, *Plutarcho* in versibus, quos Orat. II. de esu carnium adducit:

Οἱ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων. i. e.
Qui primum gladios duxere ex ære malignos,
Primi & aratoris gustarunt viscera Tauri.

Et habuit Pythagoras in hoc consentientes, non Athenienses modo, sed & Romanos. *Porculis* contra *minutulis*, & *hædis* tenerioribus usum fuisse eum, docet, ex Aristoxeno

Laër-

Laërtius l. c. & *Gellius* in N. A. lib. IV. c. XI. Prout & ex ll. cc. discimus, quod *abstinuerit* & *carne suffocatorum*, & *animalium immundorum*, ut & *quæ Diis Sacra erant:* nisi quod partem Sacrificiorum ipse Pythagoras absumpsisse dicatur. Quæ omnia illustrari possent ulterius, nisi jam idem quoque præstitisset *J. Schefferus*, l. c. cap. XI.

§. VII. Denique & illud observandum: Pythagoram cum suis asseclis, non omni *tempore* æquè iis abstinuisse. Nam, prout de vino docet *Laërtius*, Lib. IIX. Segm. 19. quod interdiu istud gustare non solitus fuerit; ita & ὄψόν τε τὰ πολλὰ λαχάνοις ἑφθοῖς καὶ ὠμοῖς, *obsonium ipsi erant utplurimum, cruda vel elixa olera.* Et ex *Jamblicho* docet *Schefferus* l. c. p. m. 147. qui dicat de animalibus aliàs permissis: καὶ τούτοις χρόνον τινὰ ὥριζε τῆς ἀποχῆς ὡρισμένον, i. e. *etiam his definivit certum tempus, quo abstinere iis deberent.*

§. VIII. Inquisivimus adeò hactenus in veram Pythagoricorum mentem: ut constaret; quantoperè vel concederent animalia, vel aversarentur. Et id quidem certum est, quod, quamvis non omnes, neque omni tempere, ab esu carnium abstinuerint; laude tamen dignam prædicarint eorum continentiam, qui eum detestarentur penitus. Unde adeò promptius ferre licebit Judicium de causis, quas pro abstinentia animalium subinde afferebant. Equidem vix fidem adhibere licebit iis, qui paupertatem & inopiam causam istius abstinentiæ allegarunt, dicentibus: Eosdem carnes omninò adhibituros fuisse, modò facultatem habuissent, eas acquirendi. Unde patet, merô insectandi studiô agitatum fuisse *Aristophanem Rhodium*, qui hanc abstinentiæ Pythagoricæ causam affert. Ejus verba, ex comœdia, quam πυθαγορείους inscripsit, Athenæo IV. 17. citata, adducit *Joh. Jonsius*, de Scriptoribus Historiæ Philos. lib. I. cap. 6. p. 30. Quæ ex *Jonsio* latine apponam: *Quid, per Deos! censemus, eos, qui olim Pythagorici fuêre, spontè, reverà, sordibus squaluisse, vestesque laceras gestasse libenter? horum mihi videtur*

 nihil

nihil. Sed adductos necessitate. cum illis deessent omnia, Frugalitatis pulchrâ quâdam inventâ specie, Sumtus utilem finem præfixisse pauperibus. Nam, appositâ illis carne vel pisce, Nisi suos etiam digitos abliguriant, & cruce volo pendere decies. At vel hæc ipsa comprobant, parum â vero aberrasse *Plinium*, Hist. nat. XXI. 6. citante *Jonsio*, qui istum *Aristophanem, exagitatorem atque insectatorem acerrimum* vocat *Philosophorum*.

§. IX. Enimvero hoc extra controversiam esse videtur: argumentum ex capite metempsychoseos desumtum, maximè eosdem strinxisse. Nam quod transmigrationem aliquam animarum statuerint, scimus: & ex ipsa, quam de se Pythagoras retulit, Historiâ cognoscimus. Scilicet se fuisse Æthalidem, & Mercurii filium habitum: deinde Euphorbum: post Euphorbi vero obitum, ingressam in Hermotimum esse ipsius animam: exinde migrasse in Pyrrhum, piscatorem Delium: ex quo tandem in ipsum Pythagoram transiverit. Quod fusius recenset ex *Heraclide Pontico Diog. Laërtius* in Pythagora, §. 4. 5. Et rationem, cur illi soli hæc non exciderint, cum idem nulli aliàs mortalium constet, subjungit: Æthalidem scilicet, in quo primitus fuerit ista anima, â Mercurio monitum, ut peteret præter immortalitatem, quicquid vellet; petiisse, ut vivens & vitâ functus, omnium quæ contingerent, memoriam reservaret. Quam eandem etiam historiam innuit *Ovidius* lib. Metamorph. XV. v. 160. sqq. ubi Pythagoram ita differentem exhibet:

Ipse ego, (nam memini,) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram &c.

Et, ut *Aldobrandinus* in notis ad Pythagoram *Diogenis Laërtii* docet, etiam *S. Hieronymus* in apologia ad Rufinum, idem recenset; ut tamen in aliquibus ab hac *Laërtii* recensione dissentiat. Hoc quoque figmentum Pythagoræ perstringit *Lactantius* lib. III. de falsa religione cap. 18. Vid. etiam *Philostratus* in vita *Apollonii Thyanæi*, lib. III. cap. 6. Qui *Philostratus* quoque de *Apollonio*, cujus vitam descripsit, refert, quod

Leone forte visô, dixerit: *Amasidis Ægyptiorum Regis animam, pœnas vitæ sceleratæ persoluturam, in feram istam commigrasse.* Quod ex eo recenset quoque *Photius*; cujus excerpta ex hoc *Philostrato*, ipsius operibus sunt præmissa. Et inquit idem *Apollonius*, lib. III. cap. VII. p. m. 129. ap. *Philostratum* de se ipso, quod ante Ægyptiæ navis gubernator fuerit. Hæc vero ipsa de transmigratione animæ sententia, quam *Ovidius* l. c. v. 167. sq. ex mente *Pythagoræ*, ita exponit, ubi de spiritu loquitur:

--- *Eque feris humana in corpora transit,*
Inque feras noster.

Fundamenti loco erat multis, in stabiliendâ suâ, de *non necandis nec edendis animalibus*, sententiâ. Et fortasse idem innuit sæpe jam laudatus *Diog. Laërtius*, l. c. §. 13. ostensurus, cur nec necare, nec edere voluerit animalia *Pythagoras*, quando dicit: ea esse κοινὸν δίκαιον ἡμῖν ἔχοντα ψυχῆς, i. e. *commune jus nobiscum animæ habentia.* Nec obscurè hanc ipsam rationem innuit *Plutarchus*, in posteriori de esu carnium oratione, p. m. 998. C. licet ipse aliquantum de ejus firmitate dubitet. Verba ejus ex versione *Xylandri* hæc sunt: *Verum, nisi quis prætereà demonstret, animas dum renascuntur, promiscuè uti corporibus hominum & brutorum, & quod nunc est brutum post fieri hominem, ac per vices ferum ac mansuetum, naturamque omnia mutare & transferre, alieno carnis velantem amictu: hæc* (quæ sc. dixerat) *non avertunt eum, qui gulæ se dedidit.* Et paulo post: *Quod si illa, quæ de animarum per vicissitudinem quandam in corpora illapsu disputantur, non faciant fidem: attamen dubitatio ipsa, magnam nos cautionem, magnum jubet adhibere metum.* Videmus adeò hoc argumentum sæpius stringi: & adhibet idem passim *Porphyrius*, in quatuor suis περὶ ἀποχῆς libris. Quam parum vero huic ipsi ipse adeò *Pythagoras* tribuerit, *Laërtius* docet l. c. Ubi, postquam docuerat, quod hæc habeant commune nobiscum jus animæ, addit: καὶ τὸ δὲ μὲν ἦν τὸ πρόσχημα, i. e. *& istud quidem prætendebatur,* τὸ δ' ἀληθὲς, τῶν ἐμψύχων ἀπηγόρευεν ἅπτεσθαι,

 συνασκῶν

συνασκῶν καὶ συνεθίζων εἰς εὐκολίαν βίου τοὺς ἀνθρώπους. ὥστε εὐπορίστους αὐτοῖς εἶναι τὰς τροφὰς, ἄπυρα προσφερομένοις, καὶ ψιλὸν ὕδωρ πίνουσιν. i. e. *Nam reverâ abstinere jussit animatis, exercens atque assuefaciens mortales ad faciliorem victum: ut cibos semper parabiles haberent, dum ea, quæ animâ carent assumerent, & aquam simplicem biberent.* Et nemo non videt, totum hujus argumenti fundamentum falsâ niti hypothesi, transmigrationis scilicet animarum. Quasi vero periculum esset, animalia necantibus aut comedentibus, ne vel corpore vescerentur, in quod anima vel propinqui vel agnati cujusdam defuncti, certè hominis alicujus, transiisset. Atque adeò nil quicquam valet apud eos, quibus constat, animas post factam à corpore analysin, statim locum vel beatitudinis, vel supplicii subire æterni.

§. X. Aliis adhuc pluribus argumentis, idem subinde corroborare nituntur: in quibus conquirendis admodum prolixus est sæpè jam citatus *Porphyrius*, libris citatis; quibus *Firmum Castricium* aliquem alloquitur qui ex Pythagorico instituto, ad creophagiam defecerat: præsertim tribus ultimis. Nam postquam lib. II. p. m. 134. sq. Sacrificia, tanquam causam necandorum animalium allegasset: in quibus, ut animalia offerrent, vel fame vel infortuniô quôdam impulsi fuerint mortales, tum id ipsum Atheniensium quorumdam exemplis illustrat, qua ratione porcus aliquis, item capra & Taurus, partim ex improvisô, partim ob causam aliam, mactari ansam dederint ulterius in bruta sæviendi. At injustè hoc & pessimè fieri, prolixè edisserit. Cum (1.) causâ cessante, fame nempe, quæ causa fuerat mactandi ad Sacrificandum, & ad edendum hac occasione animalia, effectus ipse cessare deberet. (2.) magis etiam decorum sit, frugibus terræ, tanquam bonis pulcherrimis, quibus Deus nos affecerit, eundem iterum honorare. (3.) accedere, quod ea sint sacrificanda, quæ, dum sacrificamus, non lædimus. Ast interficere animantia, non sine maximâ fieri læsione.

(4.) Sa-

(4.) facrificanda porro eſſe, inquit, quæ magis nobis ſunt propria: quæ faciliora paratu, & ſumtu: Deoque gratiora, & ad pietatem inſtillandam, efficaciora. Qualia præſtiterimus facilè ſeminibus & plantis, non æquè animalibus. Quæ omnia & exemplis illuſtrat pluribus, & autoritate variorum. Et addit (5.) prolixam probationem, ex triplici fine Sacrificiorum: qui ſit, vel cultus divinæ Majeſtatis, vel neceſſariorum petitio, vel gratiarum actio quædam. Ex quibus omnibus demum concludit: Uti minus religioſum, quocunque modo lædere animantia; οὕτως τροφῆς χάριν ἅπτεσθαι τῶν ζώων, οὐχ ὅσιον ἡγητέον, *ita cibi cauſa eadem lædere, neque licitum eſſe æſtimandum.* Vid. p. m. 179. Plura ipſe de hac ſententia ſubjicit in lib. III. ubi refutat objectiones variorum: & IV. ubi ſuam ſententiam ex eo illuſtrat, quod ſecuti eam fuerint viri maximi, variique populi, iique maximè morati. Sed quis non videt, quæ de cauſa ſacrificandi animalia dicuntur, quaſi ſcilicet fames impulerit homines, ad offerenda in Sacrificium animalia, aut etiam caſus aliquis fortuitus; ea nullius prorſus eſſe momenti? Prima enim, de quibus certò conſtat, Sacrificia Deo oblata, offerebant Cain & Abel. Et hic quidem de grege ſuo pecudes optimas, nullâ frugum terram premente inopiâ, nullô herbarum existente defectu. Nec tamen ideò ingrata hæc fuit divino Numini oblatio: quin gratior longè ipſius Caini, qui fructus agri DEO offerebat in ſacrificium. Ex quibus adeò æſtimare licet quæ ſubjungit ulterius; quamque labile hoc ſit fundamentum concludendi, non conceſſam eſſe vim hominibus, animalia ſive necandi, ſive in cibum adhibendi.

§. XI. Non autem permittit inſtituti ratio, plures audire ratiunculas eorum, qui carnium eſum ceu illicitum rejiciunt. Alias adhuc, præter allatas, exhibet *Puffendorfſius* de J. N. & G. lib. IV. c. III. §. 4. p. m. 491. ſq. Neque erit forſitan aliquis, qui aurem præbeat iisdem, ut minus propterea carnes appetat. Cum contra afferri posſint

plura,

plura, quæ licitum carnium esum sufficienter demonstrant. Nam ut non urgeam ea, quæ â *Claudio* quodam *Neapolitano* adducta, *Porphyrius* lib. I. p. m. 33. exhibet, *nullius usus quædam esse animalia, præterquàm ad præbendum carne suâ cibum.* Et de porco inquit: οὐ γάρ ἐστι χρήσιμον πρὸς ἄλλο ἡ ὗς, ἢ πρὸς βρῶσιν. Sed quod Phœnices & Judæi eodem abstineant, id inde esse, inquit: quod non nascantur in istis regionibus. Neque id prolixè expendam, quantum roboris accedat inde corporibus hominum. Quod ex eodem adducit l. c. *Porphyrius:* δῆλον εἶναι, τοὺς ἀθλητὰς τὰ σώματα κρείσσω τῇ κρεωφαγίᾳ παρέχειν, i. e. *manifestum esse, athletas corpora vegetiora reddere cibo animalium.* Neque id etiam, quod contra Pythagoricos adducit p. 37. qui ex animarum transmigratione, pro negativa argumentantur, ut supra vidimus. εἴπερ δὲ μὴ ἀσεβεῖ ὁ τὰ φυτὰ κατακόπτων, οὐδ' ὁ τὰ ζῶα; i. e. *Quod si non impiè agit, qui plantas secat, neque impie aget, qui animalia necat.* Quoniam & in plantis, iidem aliquam admittant esse animam. Et quæ præterea addit, ex mente Pythagoræorum, non malè, sed benè nos consulturos fore istis animabus, quæ bestiarum corporibus inclusæ, spem concipere possint, redeundi iterum in corpora humana. Ut taceam, quæ ex mente hujus Claudii Neapolitani plura affert. Sequi scilicet, si quis cædem bestiarum & earum esum injustum putaverit; ut neque lacte, neque ovis, neque melle vesci, neque lanâ indui salvâ posse putemus conscientiâ. Sicut cum homine injustè agit, qui vestem diripit; ita cum ove, qui lanam avulserit: naturamque lac non tibi; sed parvulis, quos uterô gessit animal, comparasse. Et apiculam demum sibi, non illi alimentum congessisse, qui desideriô fertur dulcedine mellis fruendi. Enimverò credunt, majori virtute stringendi gaudere argumentum, quod in hac materia plerumque ex defectu communis Juris, & mutuæ obligationis desumunt. Neque enim â recentioribus adhibitum hoc ipsum solùm videmus:

demus: sed & jam olim â veteribus adversus Pythagoricos. Ita, ubi Porphyrius toties jam citatus, Peripateticorum & Stoicorum rationes ex *Heraclide Pontico* recenset, inter cætera eos dicere inquit, p. 8. τὴν δικαιοσύνην συγχεῖσθαι, καὶ τὰ ἀκίνητα κινεῖσθαι, ἐὰν τὸ δίκαιον μὴ πρὸς τὸ λογικὸν μόνον τείνωμεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ ἄλογον; i. e. *Justitiam confundi, & non movenda moveri, si id quod justum est, non ad rationalem solùm, sed & irrationalia extendamus.* Et paulò post animalia bruta vocat τὰ μηδὲν ἡμῖν προσήκοντα, ex istius Heraclidis Pontici mente. Et addit p. 9. *iisdem parcentem, vel injustè secum agere; vel vitam hanc duram & incommodam reddere: rejectô istô animalium esû, quo frui licuisset.* Cujus commatis quoque alia ibidem ex mente Epicuræorum allata videas. Sed audiamus hic potiùs Dn. *Puffendorffium*, qui lib. IV. cap. III. §. 5. p. m. 495. ita inquit: *Inter rationes, quibus sufficienter ostenditur, nullum piaculum cæde & esu animantium admitti, præcipua videtur, quod nullum hominibus brutisque Jus, nullaque obligatio invicem intercedat, nec per naturam intercedere debeat. Nam neque lege naturali pro imperio nobis injunctum deprehendimus, ut cum brutis societatem & amicitiam colamus: neque illa obligationis ex pacto oriundæ, adversus hominem sunt capacia. Ex quo defectu communis Juris sequitur velut status belli inter eos, qui se mutuo lædere possunt, & probabilibus de causis velle posse intelliguntur. Quo in statu cuique facultas est, alteri, quicum ipsi bellum, inferendi, quæ ex usu suo videbuntur. Etsi hic status belli cum brutis, multum differat ab illo bello, quo homines aliquando colliduntur: quod neque est universale, aut perpetuum, neque ad omnem licentiam promiscuè se extendit. Et hic quidem status in immanibus belluis clarè elucescit: quæ, occasione datâ, in ipsos quoque homines sæviunt. Queis si quis parci velit, deteriore hos conditione, quam illas esse postulet. Cicures vero animantes usui se hominum præbent, non ex aliqua obligatione; sed vel illecebrâ victus captæ, vel vi coërcitæ: quam ubi removeris, mox in libertatem suam abibunt, aliquæ etiam in ipsum hominem insurgent.* Hactenus

ille

ille. Conf. & *Seldenus* lib. VII. c. 1. §. 4. & 5. de J. N. & G. ex mente Ebræorum. it. *Samuel Rachelius*, in Prolegomenis ad officia Ciceronis. Et ne quis ulterius hic excipiat, Creatori tamen posse fieri injuriam; licet concedatur, non injustè nos agere posse cum creaturis. Nequicquam autem improbamus, quæ cæteroquin pro observandâ temperantiâ & frugalitate dicuntur; aut â reprehensione absolvimus, qui facultate sibi concessâ abutuntur. Tum hic ad Scripturam S. provocandum nobis est: quæ passim docet, & Patriarchas maximè pios, & viros alios probitate suâ conspicuos, Prophetas & quos non? carnes comedisse. Atque adeò ipsius divini Numinis concessione, creophagiam omnino fuisse licitam. Sanè ex Dominio in bestias, æquè se latè extendente, quam in herbas agri, quod statim post tempus diluvii Gen. IX. DEUS humano generi concessit, id ipsum firmiter satis concluditur. Neque quicquam est, quod quis hic possit excipere. Illorum vero quæ in v. 5. subjiciuntur, אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו explicationem prolixiorem vide & apud *Grotium*, in annotationibus ad hunc locum, & *Seldenum* de J. N. & G. lib. VII. cap. I. p. m. 830. sq.

§. XII. Tandem verò cum qui carnium esum adeò detestantur, maximè quoque in eos invehant, qui necare animalia audeant: tum pro hâc animalia mactandi licentiâ necandique, maximè pugnabit quoque *ingens incommodum, quod inde resultaverit, nisi ausi fuerimus manus nostras cæde animalium tinxisse.* Rectè adeo urgebatur apud Porphyrium p. 35. neminem latere, quot uno enixu pecora emittant. quæ hisce ibi sufficient pascua? quis alimentorum modus erit? quanta agricolis vexatio? quis exolescentibus frugibus illatam â bestiis calamitatem feret? Terra animantium onere pressa, eas ferre indignabitur: & si quæ moriuntur, præ putredine aërem corrumpent. Inde suscitatâ pesti, miseris mortalibus quò dabitur refugium? θάλασσα μὲν γὰρ, καὶ ποταμοὶ καὶ λίμναι, ἰχθύων πεπλήσονται, ὁ δὲ

 ἀὴρ

ἀὴρ ὀρνίθων: ἡ δὲ γῆ πλήρης ἑρπετῶν παντοίων. i. e. *Mare quidem, fluvii & lacus piſcibus ſcaturient: aër volucribus opplebitur, terra vero omnigenis reptilibus.* In quibus ſane tam parum à veritate aberratum fuit, ut verius nihil unquam dici potuiſſet. Si enim homines in tantum excreverunt numerum; quæ multitudo futura fuiſſet animalium reliquorum, quæ uno partu plures edere ſolent catulos? Scaturirent omnia beſtiis: quantaque cuniculorum, & quanta demum aliarum ejusmodi beſtiarum foret multitudo & exuberantia? Accedit denique, quod *non ſufficientem hominibus cibum præſtiterint herbæ, & fructus ex terra prodeuntes*, in tanta beſtiarum copia: à quibus abſumerentur, ita, ut parum vel nihil prorſus hominibus relinqueretur.

§. XIII. Sed vix opus eſſe videtur, hoc pluribus vindicare, de quo neminem hodie dubitare, experientia docet. Id ipſum autem argumento eſt non exiguo, neque ante diluvium interdictum prohibitumque fuiſſe lege naturæ, carnibus veſci animalium. Et quamvis *Raſchi*, ad locum Geneſ. IX. 3. ſupra allegatum, circa verba לכם יהיה לאכלה annotet: שלא הרשיתי לאדם הראשון בשר אלא ירק עשב ולכם כירק עשב שהפקרתי לאדם הראשון נתתי לכם את כל i.e. *Quamvis non conceſſerim homini primævo carnem, ſed tantum herbam viridem: tamen vobis, uti herbam viridem, quam conceſſeram homini primo, ita & dedi vobis omnia.* Tamen hæc omnia dicuntur magis, quam probantur. Aut enim lege ſcriptâ poſitivâ idem interdicendum fuiſſet, aut naturæ lege. De illa certe neque vola, neque veſtigium extat ullibi. Neque ex eo, quod Geneſ. I. 29. 30. nulla prorſus fiat mentio carnis animantium, cum *Curcellæo* in Diatriba de Eſu Sanguinis, cap. I. operum Theol. p. 943. ſq. recte quis concludit: *mentionem omnino facturum fuiſſe Deum ejus, ſi eum hominibus in alimentum concedere, intendiſſet. Neque adeò ante diluvium licitum fuiſſe, carnem uſurpare, niſi ſe furti reos reddere voluis-*

luis-

luissent. Quoniam ablatio rei alienæ, invito domino, secutura fuisset. Nam sane ex silentio Scripturæ S., testimonium desumere non licebit, pro sententiâ istâc negativâ, hoc modo: Non expresse legimus concessum primævis hominibus carnium esum, ergo neque concessus aut licitus fuit. Neque etiam DEUS expresse ipsis concessit usum animalium, in arando adhibendum; item ad gestanda onera, trahendosque currus. Neque etiam permisisse legitur disertis verbis, butyro, lacte &c. animalium frui. Et tamen istæc concessa fuisse ante inundationem universalem Terræ, ipsi qui contradicunt, admittunt. Causam vero, ob quam nulla expressa hujus concessionis fiat mentio, geminam affert *Joh. Henr. Heideggerus*, in tract. de libertate Christianorum à lege cibaria veterum, de sanguine & suffocato: quam repetit in ראשי אבות Exercitat. IV. §. 9. p. 399. qui videri potest. Ubi insimul docet, animalia utique includenda esse, non excludenda. Quod ל in voce לכל v. 29. inclusivè sumendum, significare debeat *cum omni*. Qui carnem bestiarum usurpat, non aufert rem alienam, sed suam, à Deo sibi concessam Gen. I. 26. de quo mox pluribus. atque adeo in eum furti definitio minimè quadrat. Quod si autem non interdictum fuerit lege scriptâ; multo magis adhuc constat, nec naturali lege prohibitum fuisse, carnes concedere. Scilicet immutabilis est omnino, neque dispensationem admittit, lex, quam natura nobis inculcavit. Adeoque facilè concludere poteris: si non injustè licet animalium carnibus vesci post diluvium; neque injustum; aut illicitum idem fuisse ante diluvium.

§. XIV. Sed quam, ante diluvium concessam, creophagiam probavit hactenus *licitus post diluvium carnium esus*; eam quoque confirmat *Dominium hominis* universale, ipsi Gen. I. 26. concessum. Scilicet, quanta sit hominis præ reliquis creaturis omnibus præstantia, facilè cuivis patet, qui noverit, datum esse homini singulare mentis lumen: ut possit hujus ope res accuratius comprehendere, eas inter se conferre, ex notioribus ignotiora colligere, deque

rerum

rerum inter se convenientia judicare: nec non, ut motus suos non ad eundem semper modum cogatur exserere; sed eosdem expromere, suspendere ac moderari calleret, prout videretur: quæ verba sunt *Puffendorffii.* Prout igitur inter homines æquum est, eos præesse & dominari, qui ratione & prudentiâ antecellunt: sic inter animalia homini debuit Principatus, Dominium & Imperium. Cum verum omnino sit, quod de homine pronunciat *Aristoteles* in Ethicorum ad Nicomachum lib. X. cap. VII. p. m. 401. Εἰ γὰρ τῷ ὄγκῳ μικρὸς ἐστι, δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων. i. e. *quamvis mole parvus sit, virtute tamen & pretiô multo magis omnibus antecellit.* Ex ipso quoque consilio, quod de homine creando Sacrosancta Trinitas celebrabat, ominari facilè quis poterat; Jam proditurum animal, cui nec par ullum è reliquis omnibus, quæ hactenus fuerant condita, quodque præstantissimum longè esset inter omnia. Cum enim opera alia unius verbi edicto produxisset DEUS; hic quasi consilium ineundo meditandoque procedit: ceu homines solent, ubi grande aliquod negotium meditantur. Agnovit idem *B. Chrysostomus.* Qui proinde in Homilia VIII. ad Cap. I. v. 26. Genes. inquit: Tom. II. operum (edit. Francof. 1698.) p. m. 66. Πρώην μὲν γὰρ ἠκούομεν αὐτοῦ λέγοντος, μετὰ τὴν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς δημιουργίαν, γενηθήτω φῶς, καὶ γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος, καὶ πάλιν, συναχθήτω τὸ ὕδωρ εἰς συναγωγὴν μίαν, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά, καὶ γενηθήτωσαν φωστῆρες, καὶ ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν. εἶδες λόγῳ μόνον, καὶ προστάγματι πᾶσαν τὴν κτίσιν δημιουργουμένην ἐν ταῖς πέντε ἡμέραις; σκόπει σήμερον, πόση τῶν ῥημάτων ἡ διαφορά; οὐκέτι γάρ φησι, γενηθήτω ἄνθρωπος, ἀλλὰ τί; ποιήσωμεν ἄνθρωπον. Τί τὸ καινόν; τί τὸ ξένον; τίς ἄρα οὗτος ἐστιν ὁ δημιουργούμενος, ὅτι τοσαύτης βουλῆς καὶ σκέψεως ἐδεήθη τῷ δημιουργῷ, πρὸς τὴν τούτου κατασκευήν; μὴ ξενισθῇς, ἀγαπητέ. Τὸ γὰρ τιμιώτερον ἁπάντων τῶν ὁρωμένων ζώων ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος. Neque tamen hoc solùm de Præstantia hominis poterit testari. Sed accedit insuper notabilis creationis ordo. Creata

primum erant cœlum & terra: sed quasi domus, omni destituta supellectili, & nullô comta ornamentô. Ad quæ vero exornanda, varia produxerat, tùm ad cæli, tùm ad terræ ornatum inprimis facientia. Donec tandem hæc omnia perfectè exhibiturus, de homine creando consilium agitaret. Ut hic adeò, in cujus gratiam condita creduntur omnia, nullâ ullius rei laboraret inopiâ; sed affluentiam haberet eorum omnium, quæ vel usui vel jucunditati inservire possent. Quod idem docuit jam laudatus *B. Chrysostomus* l. c. Nam postquam prolixè præmiserat, qui mos sit hominum, ubi sciunt, regem civitatem aliquam esse visitaturum, omnia præparantium, quæ ad magnificentiam splendoremque introitus facere possint; subjungit: τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον, καὶ νῦν, καθάπερ βασιλέα τινὰ καὶ ἄρχοντα μέλλων ἐφιστᾶν πᾶσι τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς, πᾶσαν ταύτην τὴν διακόσμησιν πρότερον ἐπεκτήνατο, καὶ τότε τὸν μέλλοντα ἐφίστασθαι παρήγαγε. Hâc ipsâ adeo præstantiâ hominis præ creaturis reliquis, aptus ipse reddebatur, qui dominiô frueretur in cætera omnia. Unde Naso sub initio Metamorph. v. 76. sqq.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod DOMINARI in cætera posset:
Natus homo est.

& quod alias dicitur: Ἄρχειν μηδενὶ προσήκειν, ὃς οὐ κρείττων ἐστὶ τῶν ἀρχομένων: id in hominem admodum quadrat. Quantò enim major ejus præ reliquis omnibus præstantia; tantò major quoque aptitudo est, cæteris imperandi.

§. XV. Enimvero, ad quod adeo aptus conditus fuit homo Dominium; ad illud etiam â DEO ipso destinabatur. Ita enim DEUS, ubi de creando homine consilium iniit, addit Gen. I. 26. וירדו בדגת הים ובעוף השמים ובבהמה ובכל הארץ ובכל הרמש הרומש על הארץ׃ Quibus quidem verbis, destinationem hominis ad capessendum universale in creaturas omnes dominium innui,

nemo

nemo dubitaverit. Nam vocem רדה, in significatu *Dominationis* hic sumi, certum est. Et suadet idem constructio cum ב: quomodo ubicunque reperitur constructum, semper in hac significatione extat. Jam verò vocem וירדו, non de sola habilitate accipiendum esse, (quam potius præsupponimus;) sed de facultate ipsi etiam concessâ, suadet, tum consideratio antecedentium; tum etiam, quod deinceps DEUS hominem creatum alloquatur v. 28. ורדו בדגת הים וגו׳ conferendo ipsi adeò istud dominium; cui formandus adhuc, jam erat destinatus. Et istud quidem non circa quædam solum versaretur animalia: sed in universum omnia tali subessent dominio. Quod ipsum patet ex universalitate subjecti hic nominati. Nam ad normam hujus dicti est, quod Hebræi *Bruta in quatuor summa genera* dividant: sc. in בהמה, עוף; in רמש & דג. Conf. *Bochartus, Hieroz.* lib. I. c. II. Et advertunt iidem quodammodo etiam ad hanc animalium distinctionem, in materia de Esu sanguinis; distinguendo inter sanguinem Pecorum, Ferarum & Volucrum, itemque Piscium &c. de quibus prolixè disserit *Seldenus* de J. N. & G. ex mente Ebræorum, Lib. VII. c. I. p. m. 825. sq. Est adeò consequens, concessisse hôc ipsô Deum homini Dominium in animalia quælibet. Cujus equidem imperii dignitas, multis modis diminuta & labefactata est, lapsu Protoplastorum interveniente: tamen aliqua adhuc ejus supersunt vestigia, ut loquitur *B. Gerhardus*, in LL. Loco de Imagine DEI in homine ante lapsum, cap. IX. §. 129. pag. m. 139.

§. XVI. Juxta alios igitur in eo constiterat Dominium: quod omnes creaturæ hominis arbitrio subessent, ipsi servirent, subjicerentur, & si ipsis habeat opus ad auxilium vel sustentationem, in ejus potestatem licitò redigerentur. Brevius describi poterit per *Jus seu Facultatem, ad auxilium vel sustentationem animalia adhibendi.* Ubi quidem vocabulum Juris adhibeo: quod velim, legitimè &

cum

cum effectu morali, potuisse hominem bestias in usum victumque convertere; non æquè, quod actu id semper egerit, idque suum Jus semper in effectum produxerit. Unde facilè quis animadvertet, non nos admodum ferire, si quis dicere velit: verendum hoc pacto fuisse, ne non aliquod genus animalium interiturum fuisset. Cum unum tantummodo par cujuslibet generis, â divino Numine in prima creatione productum fuerit. (Quod tamen, contra *Justinum Martyrem* & *Theodoretum*, quos adducit, non admittit *Pererius*, Comment. in Gensin, lib. XIV. Disp. I. §. 14.) Si nihilominus Protoplasti, dentes suos in eadem stringere, & comedere istæc voluerint. Potuerunt scilicet ubicunque libuerit, & inprimis ob evitanda quædam incommoda, efficere, quo minus istud Jus suum actu exsererent: ut nihilominus Jus istorum salvum perstaret atque integrum. Tale vero Jus, quin homini fuerit, ad convertenda in suos usus animalia, eorum utendo auxilio; id nemo facilè inficiatus fuerit. At, quod ex eodem capite, iisdem in sustentationem suam uti potuerit, id est quod negant multi pernegantque. Verùm illud omninò certum est, per *Dominium* homini concessum, tale Jus intelligi debere, quod propter universalitatem nominatorum animalium, ad omnia æquè pateret: non ad Jumenta aut bestias agri solum; sed & ad volatilia cæli, & pisces in aquis habitantes. At vix video, quæ ex piscibus redundatura egregia utilitas fuisset in humanum genus; si ab esu illorum discesseris. Consequens adeò fuerit, nisi inane Juris nomen velis statuere, adeò latè istud Jus dominii patuisse, ut vitæ necisque, adhibendorumque in cibum animalium fuerit. Deinde ita Jus dominii explicandum erit; ne concedere opus habeamus, sortem hominis peccando meliorem fuisse redditam. Nam tale quid nemo sanus admittit. Neque tamen video, quâ ratione hoc evitare poterunt ii, quibus volupe est defendere contrarium. Scilicet, concesit divina Majestas

homi-

homini, frui post lapsum cibo carnium ex animalibus, juxta locum Gen. IX. jam citatum. Flueret verò omnium liquidissimè exinde, si DEUS homini, post diluvium in statu destitutionis versanti, carnium esum permisit, quem tamen in statu institutionis prohibuerat; meliorem extitisse conditionem hominis post lapsum, quam ante lapsum. Idque ob duplicem potissimum rationem: quod nimirum frui licuerit lautis ejusmodi carnium dapibus, quibus æquè antea frui non fuisset integrum. Et deinde, quod amplior reddita fuisset dominandi facultas hominis post lapsum, quam fuerat, ubi adhuc in primæva versabatur integritate. Novi equidem, ipsam victus simplicitatem, quæ proventu terræ circumscribitur, in summo ab aliis haberi æstimio. Certè *Ovidius* descriptioni ætatis aureæ & hæc admiscet, Metamorph. lib. I. vers. 103. sqq.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant.
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Æstimarunt eam quoque ex Philosophis plurimi: & inter eos Pythagorici, εὐκολίαν βίου (quod vertunt, *facile parabilem cibum*) commendabant maximè. Neque tamen & id negandum, ab aliis contra carnium usum magni omnino fieri. Et illud sane maximè invictum & longe certissimum est, ex adducto jam fundamento non posse concedi, ampliorem fuisse redditam dominandi facultatem hominibus post diluvium, quam eorum fuerat, qui ante diluvium vixerunt, tum in statu integritatis præcipuè, tum & in statu corruptionis. Quod nulla videatur suppetere ratio, cur arctius debuerit esse Jus *dominandi* in bruta, hominum ante lapsum quam post lapsum; aut ante diluvium, quam post diluvium viventium. Nemo autem negaverit, post diluvium, dominium hominis tam latè patere, ut ex eo Jus vitæ necisque, consumendorumque adeò in cibo animalium, fluxerit: juxta illud, quod Genes. IX. 2. legimus. Quod concedunt illi adeò etiam, qui cæteroquin pro

contrariâ ſententiâ pugnant. Qualis *Joſephus Albo*, in libro fundamentorum ספר עקרים Ebeæis dicto: qui, citante *Seldeno* lib. VII. c. 1. p. m. 830. ita inquit: בתחלה נצטווה אדם הראשון בקצת מצוות שנהגו בהן האנשים לפי קבלת ר"ל עד נוח ולנוח התיר אכילת בעלי חיים שהיה אסור לאדם הראשון כי בתחלת לא התיר להם אכילת בעלי חיים אלא אכילת הצמחים בלבד וגו' ואחר כך התיר אכילת הבעלי חיים לנוח: i. e. *In principio quædam Præcepta data ſunt primis Parentibus, quibus uſi ſunt homines usque ad Noachum; juxta traditionem Rabbinorum noſtrorum p. m. Noacho vero permiſſus eſt eſus animalium, qui Adæ interdictus eſt. Nam in initio non permiſſus eſt homini eſus animalium; ſed tantum eſus eorum quæ ê terra germinant, ſeu fructuum ê terra naſcentium tantum* &c. *& poſtea Noacho permiſſus eſt eſus animalium.* Qui ipſe impugnator alias, juxta *Seldenum*, acerrimus κρεωφαγίας ante-diluvianæ, non repugnat huic ſententiæ, quæ poſt diluvium, dominium hominis extendit etiam usque ad eſum animalium. Cum adeò, quod ex dictis conſtat, ex capite dominii homo veſci posſit animalibus; tum nemo idem negare ſolidè poterit, ante diluvium, ſive lapſu jam admiſſo, ſive ante iſtum idem licuiſſe: qui non unà admittere velit, dominium ante lapſum quam poſt lapſum, aut ante diluvium quam poſt diluvium, fuiſſe anguſtius. Accedit, quod dominium iſtud, ſi præſertim ad ſtatum ante lapſum habeatur reſpectus, ſe exſerere vix potuiſſet, niſi etiam eſum animalium incluſiſſet. Cum enim homo per dominium habeat, ut animalia tum in adjumentum, tum ad capiendum inde amictum, tum in victum adhibeat, aut adhibere posſit. Et tamen homo ante lapſum vix indigeret adjumento animalium, amictum adeò nullum requireret; neceſſum erat, ut eo minus victus excludatur

datur

datur animalium. Ne ipsô dominiô quasi prorsus excidisse homo videretur.

§. XVII. Nequaquam autem illud admittendum, quod solum hoc in animalia dominium imaginem istam divinam absolverit, in qua Protoplasti erant conditi. Non est hujus loci hæc demonstrare prolixiùs. Audiamus hic loquentem *B. Gerhardum* in LL. loco de Imagine divina, c. 1. §. 37. *Imago divinæ sapientiæ fulgebat in intellectu hominis: imago bonitatis, μακροθυμίας, mansuetudinis, tolerantiæ in animo hominis: imago charitatis & misericordiæ divinæ fulgebat in affectibus cordis humani: imago justitiæ, sanctitatis & puritatis divinæ lucebat in voluntate hominis: imago comitatis, benignitatis, veritatis, in gestibus & verbis hominis: imago divinæ potentiæ, in dominio concesso super omnia animalia.* Pariter autem nec illud admittendum, in hoc solùm dominium istud in animalia se exseruisse, quod nomina iis imponere Protoplasti potuerint. Equidem id efficere posse, ut quis eo nomine gaudeat, quod ipsi â nobis fuit impositum, documento esse potest alicujus in istud potestatis: conf. Psalm. CXLVII. 4. At si quis inde velit concludere, in eo terminasse se dominium primi hominis; is sanè non adeo firmiter argumentum stringeret. Imposuit & DEUS nomina hominibus, & alii aliis: neque tamen tam arcta illorum potestas est, ut non aliis quoque se exserere possit speciminibus. Quin & de Adamo constat, illum nomen Hevæ imposuisse: cum tamen summa adhuc dum inter utrosque esset æqualitas, & præcellentia mariti præ uxore post lapsum demum obtinuerit. Imò si in hoc unicè dominium constitit, nonne hâc suâ nominum impositione, præripuisset Adamus omnem exercendi dominium facultatem, & uxori, & qui oriundi essent ex ipso posteris omnibus? Nam illi sane nomina imponere animalibus non potuissent; nisi vel immutata fuissent nomina ab Adamo indita, vel nominum numerus uniuscujusque bestiæ incredibiliter auctus. Quale quid verò credere nequic-

quicquam licet. Equidem ubi hujus impositionis nominum mentionem fieri videmus, & advertimus, quod postea quondam in usu fuerint δουλικὰ ὀνόματα, qualia nimirum Domini servis imponere sueverunt: quale est istud, quod servus *Theophrasti* gerebat, nempe Μάνης. Cujus in Testamento suo mentionem facit, post annos quatuor liberè dimittendi, si quidem strenuè in labore esset perrecturus, apud *Laërtium* lib. V. in *Theophrasto*. Ubi *Menagius* in notis ad h. l. ex *Eustathio* adducit. Μάνης δουλικὸν ὄνομα παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Quem pluribus conferre licet, si placuerit. Hæc inquam, ubi advertimus, tum confirmamur in eo, ut credamus, ex hac nominum impositione colligi veluti ex signo aliquo, de Dominio: non tamen, ut hôc ipsô omnis dominii amplitudo circumscribatur unicè. Et pro tali dominii signo habetur quoque â B. *Joh. Chrysostomo*, qui Homil. IX. in cap. I. Genes. Tom. II. p. 75. inquit: Καὶ ὁρῶν πλησίον αὐτοῦ γινόμενα τὰ θηρία, οὐκ ἀπεπήδησεν, ἀλλὰ καθάπερ τις δεσπότης δούλοις ὑποκειμένοις, οὕτως ἅπασι τὰς προσηγορίας ἐπέθηκεν, καὶ πῶς ἐκάλησεν αὐτό; Φησιν Ἀδὰμ τοῦτο ὄνομα αὐτῷ, καὶ τοῦτο δεσποτείας σύμβολον. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ θεὸς βουλόμενος καὶ διὰ τούτου διδάξαι αὐτὸν τὸ τῆς ἐξουσίας ἀξίωμα. Et idem *Chrysostomus* in cap. II. Homil. XIV. p. m. 124. τοῦτο γίνεται, ἵνα καὶ τὸ σύμβολον τῆς δεσποτείας, διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων θέσεως ἐπιδείξηται. καὶ γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ἔθος, τοῦτο ποιεῖσθαι σύμβολον δεσποτείας, ἐπειδὰν οἰκέτας ὠνήσωνται, μετατιθέναι αὐτῶν τὰς προσηγορίας. Poterimus itaque hoc tanquam signum dominii humani in animalia admittere: nequaquam vero, quod in hoc unicè constiterit vis Imperandi dominandique. Idem vero quod de Impositione nominum dictum, dicendum quoque erit *de accessu animalium ad Adamum*: quem itidem aliqui omnem dominii ambitum complecti credidêre. Neque enim facilè quis dixerit, & pisces quoque ad Adamum accessisse, nomina ab ipso petituros: Quô tamen positô, collabaretur facile dominii istius universalitas.

tas. Refert & hunc acceſſum animalium ad Adamum B. *Chryſoſtomus*, l. c. p. 123. ad ſigna, de dominio primævo teſtantia, dum inquit: *Λογίζου μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο, ὅτι καὶ λέοντες, καὶ παρδάλεις, καὶ ἔχεις, καὶ σκόρπιοι, καὶ ὄφεις, καὶ τὰ ἄλλα ἅπαντα, τὰ τούτων θηριωδέστερα, καθάπερ πρὸς δεσπότην μετὰ πάσης ὑποταγῆς παραγεγονότα, καὶ οὐδὲν τῶν θηρίων τούτων ἐδεδοίκει ὁ Ἀδάμ.* Id quod admittere omnino licuerit: modo nec quis negaverit, teſtari hoc ipſum quoque de reverentia, quam præſtiterint divino nutui, ad hominem accedendo, ubi divinæ ſic placuiſſet voluntati. Quod ſi quis verò iſtud tantum urgeat: Non adeò latè patuiſſe dominium, ſeu: *illud ſolum fuiſſe illicitum, absque urgente necesſitate, voluptatis cauſa ſeu ad gulæ placendum, animantium carnem in cibum uſurpare*, ut *Curcellæus* l. c. cap. 3. p. m. 948. b. inquit, in eo nos facile habebit conſentientes. Nam uti improbamus abuſum hujus facultatis, cum ſtolida præcipue immanitate conjunctum, ſi id hodie contingat; Ita & eundem ante diluvium eliminatum præſcriptumque potius volumus, quam ut eum approbemus. Prout enim ante lapſum obtinere talis hujus facultatis abuſus non potuerat: ita facile concedimus, nefarios primi mundi incolas idem feciſſe videri.

§. XVIII. Aliud jam urgebimus argumentum, deſumtum *ex obſervata* jam ante diluvium *inter animantes differentia*. Reperimus enim pecora gregaria, & à Paſtore directa: quibus omnino contradiſtinctæ concipiendæ ſunt feræ. Reperimus alia pinguia dicta, quod alia fuerint macilenta. Reperimus diſtinctionem quoque obſervatam, inter beſtias puras & impuras. Et quamvis hoc argumentum potisſimum pugnare videatur, pro actuali comeſtione: adhibemus tamen idem tanto facilius & lubentius, quod, ubi ſciamus, comediſſe homines ante diluvium carnes, idque Deo non prohibente; itidem ex hoc edoceamur, licitum fuiſſe ante diluvium carnium eſum. De pecoribus

gregariis seu in gregem coactis edocemur, ubi videmus & alicujus Pastoris רועה mentionem fieri, & ipsius gregis, qui צאן vocatur. Equidem vocem רועה Habeli attributam legimus, Genes. IV. 2. ubi dum Cain dicitur עובד אדמה, hic appellatur רועה צאן. Ubi equidem non inquiremus, quam verè dixerit *Raschi*, rationem redditurus instituti *Habelis*, dum inquit: לפי שנתקללה האדמה פירש לו מעבודתה: Ideo *scilicet eum à colenda terra abstinuisse, quod eam deprehenderet maledictam.* Id certum est: denotari hac voce eum, qui gregem pascens, non uno loco substiterit; sed pabulô hic absumtô, eandem alibi egerit. Ut applicari quædam huc possint quæ citatus jam *Raschi* ad vers. 20. hujus cap. IV. dicit de Jabale: הוא היה ראשון לרועי בהמות במדברות יושב אוהלים חדש כאן וחדש כאן בשביל מרעה צאנו וכשכלה המרעה במקם זה הולך ותוקע אהלו במקם אחר:

fuisse illum primum pascentium pecora in disertis. Nam inhabitantem tentoria transtulisse eadem, mox huc, mox illuc, propter pascuum gregis sui. Ubi enim pascua consumta essent in loco hoc, abiisse & tontorium fixisse alibi. Conf. *Raschi* etiam ad Numer. XIV. 33. Sufficit adeò, innui hoc ipso, ut jam diximus, Pastorem ejusmodi, qui collecta in gregem pecora curaret, & ad pascua duceret. Id quod quidem docet, non satis firmam esse *Drusii* observationem, quam jam taxavit *Bochartus* in *Hieroz.* Part. I. Lib. II. c. XLIV. quasi vox רועה solum notet μισθωτὸν; cum נוקד contra ipsum gregis Dominum indicet. Nam ut taceam quæ *summus* ille *Bochartus* ibi urget, vel hic unicus locus evinceret contrarium. Quis enim pro servo aut mercenario habuerit Habelem, ubi nullus erat, cui posset esse â servitio? Sed uti vox *Pastoris* supponit, requiri aliquem cætu n pecorum, in quem sese exserere possit munus pastorale: ita occurrit etiam vox ipsa צאן, talem *cætum* denotans. Ubi parum quidem curamus, quæ radix sit hujus

vocis,

vocis, quod tamen inquisivit jam *Bochartus* l. c. lib. I. c. IX. p. m. 60. modo id nemo neget, intelligi hac voce *gregem* seu *cœtum* aliquem pecorum, in quem exerceret Habel munus suum pastorale. Adeoque hæc, cum mansueta fuisse necessum erat, quibus pabulum Habele curante suppeteret, contradistincta procul dubio iis erant, quibus nemora inhabitare, & ab humano fugere consortio volupe esset. Uti igitur jure quis victum sibi sumit ex grege, in quo pascendo desudat: ita & nos statuimus, & probabiliter admodum concludimus, Habelem quoque inter cæteras causas, quæ ipsum impellerent ad invigilandum gregi, habuisse, ut pro lubitu istis vesceretur animalibus. Ecquis enim crederet, istum ideo solum gregem aluisse, ut lana adesset, pro conficiendis ex ea vestimentis. Exiguus omnino adhuc hominum aderat numerus, pro quo vestibus ornando, non amplô quôdam opus erat grege. Quid quod credibile admodum sit, simpliciori vestitus genere tunc contentos mortales, nondum admodum studuisse, ut ex lanâ pannum connecterent, materiam conficiendarum inde vestium. Neque etiam sufficit, lac ipsi concedere gregis sui, & quibus prætereà frui posset; modo non vitam perderet animalium. Non enim piaculum habebat, mactare in sacrificium animalia: nec iis fortè pepercit, ubi pellibus indigeret, quibus se tegeret. Quis negaverit igitur? & eundem hominem in cædem animalium provolasse, ubi appetitu flagraret carnibus eorundem vescendi. Accedit, quod maximè tunc temporis homines operam darent labori isti, qui sufficeret ad acquirendum victum. Cain igitur terram colebat, ut victui inde sumeret necessaria. Habel gregem alebat, ut & iste inde victui necessaria desumeret. Quod tamen ob dictam rationem, non solo lactis aut butyri usu, carne exclusâ, erit circumscribendum. Accedit denique, quod brevi in inutilem copiam extensurus sese fuisset pecorum numerus, quibus pascendis vix ille suffecisset: nisi fre-

quen-

frequenti cæde effecisset, ne nimium excresceret illorum copia. Nam pauca erant, quæ in sacrificium afferret: nec multis opus erat, ut exinde pelles sumeret: quin, quod nec credibile sit, carnes ab ipsis fuisse rejectas, solis sibi reservatis pellibus.

§. XIX. *Altera distinctio* animalium, quæ itidem argumentum nobis suppeditat, est, ubi animalia quædam dicta reperimus pinguia, quibus opposita concipiuntur macilenta. Ita enim de Habele legimus, quod sacrificium Deo obtulerit מבכרות צאנו ומחלביהן *de primogenitis gregis sui, & de pinguedine eorum* Gen. IV. 4. Ubi certè non refugiendum est ad metaphoricam vocis חלב interpretationem, ut denotet solùm optimum & præstantissimum de grege. Quamvis enim ita explicandum veniat, ubi sermo est de חלב הארץ Gen. XLV. 18. it. חלב יצהר וכל חלב תירוש. Num. XIIX. 12. &c. Ubi subjecta vetant, quo minus propriè de adipe seu pinguedine intelligi possit: tamen ubi proprius ejus significatus locum obtinere potest; ibi non temerè ad improprium erit confugiendum. Unde hîc, ubi de animalibus gregis sermo est, optimè quadrat explicatio vocis חלב, per *adipem* & *pinguedinem*. Inde autem sic concludo: si jam pio Habeli nota fuit differentia, inter animalia pinguia & macilenta; admodum probabile est, illam ipsi ex esu carnium innotuisse: & adeò facile constabit, licitum quoque fuisse carnium esum. Consequentiam hanc, si nota fuit Habeli differentia inter pecudes pingues, & minus pingues; admodum probabile est, illam ipsi ex esu & cibo carnium innotuisse, inde confirmo: quod differentia hæc vix observetur aliàs, præterquam in esu carnium. Non enim id urgebo, quod ex *Aristotele* refert *G. J. Vossius*, de Theol. gent. lib. III. c. XXIX. extrema saporum esse dulce & amarum: & dulce quidem inhærere pingui, amaro vero salsum. Quæ â *Scaligero* refutata exhibet l. c. *Vossius*. Sane, ubi pecora istum tantum præstant usum, ut lana

inde

inde suppetat; non video, quis tum hujus discriminis usus? Neque vero, si lacte animalium solum fuissent usi ante diluvium, non ausi progredi ulterius ad esum ipsarum carnium, constabit; quare talis observanda fuerit differentia. Quin, si propter alios demum usus domesticos sustentata dixeris animalia, parum tamen & hic intererit, sive notabilem pinguedinem aluerint, sive non. Cum certum sit, istæc omnium optimè laboribus domesticis fungi posse, quibus ossa bene compacta & consolidata: non habito sive pinguedinis sive maciei discrimine notabili. Accedit, quod de pinguibus l. c. dicatur, adhibita eadem fuisse in sacrificium Deo offerendum. Jam verò id fatendum omnino est, adhibuisse Habelem istæc pinguiora tanquam meliora: at, quod pinguium extra esum vix ulla sit præstantia, ex adductis jam patebit fundamentis. Et idem jam strinxit *J. H. Heideggerus*, ראשי אבת Exercit. XV. §. XXIII.

§. XX. Tertia denique distinctio animalium, quæ pro nobis facit, est *inter munda & immunda*. Ita enim Scriptura sacra Gen. VII. 2. distinctionem observat inter bestiam טהורה ולא טהורה *mundam & immundam*, cum sermo est de assumendis iis in arcam Noachicam: & eadem observatur quoque c. c. vers. 7. Ubi id quidem extra controversiam debet esse positum: *nullum animal suâ naturâ esse immundum*, cum DEUS in suo genere animalia omnia valde bona creaverit. At id non adeò liquidum est & expeditum, ex quonam fundamento hæc animalium distinctio fluxerit. *Benedictus Pererius* in suis ad Genes. commentariis lib. XI. Disp. II. §. 5. sq. ad vers. 19. cap. VI. triplicem affert hac de re sententiam. Primam, quæ *B. Chrysostomi* fuerat, atque contendit, discrimen animalium mundorum & immundorum innotuisse Noacho, vel naturali rationis judicio & prudentiâ; vel singulari aliquâ DEI revelatione. Ipsa B. *Chrysostomi* verba non opus est ut ap-

ponamus, cum *Pererius* eadem satis prolixa adduxerit: itemque etiam *J. H. Heideggerus*, Exercitationis jam citatæ §. XXV. Alteram, quæ locutum Mosen statuit per eam orationis figuram, quæ dicitur Anticipatio. Deum scilicet nominatim indicasse Noacho species animalium, ex quibus sumeret bina; & alias species, ex quibus sumeret septena. Cumque evenerit, ut per legem â Deo latam hæc censerentur & appellarentur munda, illa vero immunda: inde Mosen, quo brevius indicaret illam animalium distinctionem, notô Judæis discrimine mundorum & immundorum eam declaravisse. Et hanc sententiam tribuit *Theodoreto, Bedæ*, & *Tostato* in quæstionibus ad Genesin. Et videtur idem sensisse *Raschi*, ad Gen. VII. 2. ubi טהורה explicat, per העתידה להיות טהורה בישראל *futuram, seu destinatam ut sit aliquando munda inter Israëlitas*. Tertiam denique eorum, quam & sibi arridere ait *Pererius*, qui statuunt: multa eorum, quæ lege Mosis sancita sunt, fuisse ante legem jam inde ab exordio mundi in more & usu, apud probos & honestos viros: cujusmodi esse ædificationem altarium Gen. IX. & XXIIX. suscitationem seminis fratris mortui absque liberis. *In his fuit etiam*, inquit: *distinctio mundorum animalium & immundorum*. Sed enim prout non desunt fortè, qui animalia munda ideo ab immundis distincta fuisse existimant, (conf. *Grotius* in annot. ad lib. 5. de verit. relig.) quod non æquè, ceu hæc, in alias veherentur bestias, & earum carnibus vescerentur. it. quod alia in sacrificia adhiberentur, cætera non item. Ita sanè & rectissimè judicarunt viri magni nominis, cum *Bocharto*, *Heideggero*, ll. cc. ideo hoc discrimen fuisse observatum; quod munda animalia in cibum adhibita fuerint, seu quod frequens eorum in cibo usus fuerit; immunda contra in cibis aversarentur ante-diluviani. Facilius equidem hac de re judicium ferre liceret, si superesset adhuc scriptum *Tertulliani*, de quæstione: Cur DEUS, qui omnia fecerat valde bona, introduci jusserit in arcam Noachi

Noachi unà cum animalibus mundis, etiam immunda? cujus mentionem facit *B. Hieronymus* Epist. 125. ad Damasum, uti refert *Pererius* l. c. Idque eo magis; quod consultus hic *Hieronymus* istâc de materia â *Damaso*, noluerit aliquid addere. quasi materia hæc sufficienter jam à *Tertulliano* esset explicata. Enimverò, cum de ejus mente, ob defectum hujus scripti, jam non constet; nostra huc redit sententia, (quæ tamen non nostra solum est, sed aliorum quoque plurium jam nominatorum): *Obtinuisse hoc discrimen animalium, prout vel in cibum adhibebantur, vel non adhibebantur.* Et id quidem inde potissimum, quod credamus, non temerè asserendum esse: diversum esse hujus distinctionis usum ab eo, quæ deinceps cum manifestatione Legis indicabatur. Ibi scilicet munda habebantur ea, quibus vesci poterant Israëlitæ, Deo ita concedente; immunda vero ea, quæ in cibo Judæi aversarentur, detestarenturque maximè. Unde & hic idem indicari tam diu credimus: donec sufficiens nobis ratio persuadeat contrarium. Illud vero ubi evictum est; facilis omnino est ad licitum eorum esum argumentatio. Videamus tamen quid nervi insit reliquorum opinionibus. Equidem adducta supra *B. Chrysostomi* verba adeò nobis non contrariantur, ut manifestè potius, quod idem noster prorsus sit, inde pateat. Nimirum extendit hoc discrimen haud obscurè eo usque, ut etiam ratione esus obtinuerit. Dum inter alia inquit: quemadmodum in nonnullis locis, quidam abstinent ab aliquibus ut immundis; alii vero illis ipsis vescuntur; ita etiam fuit tempore Noæ. Quando vero alii quandam admittunt πρόληψιν, tum nec hæc nobis adversatur interpretatio: tum ne admittenda quidem figura erit, ubi sine figurâ explicatio procedit. At plana erunt omnia, si nostra admittatur. Quæ verò *Bened. Pererii* est sententia; multa jam ab initio mundi in more & usu fuisse, quæ deinceps lege demum manifestatâ, constituta & confirmata fuerunt: &

 illud

illud admodum pro nobis facere poteſt, quòd nempe hæc diſtinctio animalium jam olim ita obtinuerit, uti deinceps obſervabatur: munda ſc. æſtimando iſtæc animalia, quæ licitè poterant comedi; immunda, quæ non æquè in cibum adhiberi debebant. Unde non opus erat, ut adjiceret eruditus iſte Jeſuita, *non quidem quantum ad eſum*, & deinde: non igitur diſtinctio mundorum & immundorum animalium tempore Noachi fuit in uſu; *quantum ad cibum; ſed tantummodo quantum ad ritum & uſum Sacrificiorum.* Qui vero ita admittendam cenſent hanc diſtinctionem, ut ratione Sacrificiorum obtineat; illi pariter, etſi interdum contrariari nobis velint, maximè noſtram partem tuentur. Dum enim *non adhibebantur in Sacrificia, niſi quæ itidem in cibis erant permiſſa*, (quod fuſius demonſtravit, præter alios *Heideggerus Exercit. cit.*); tum eo ipſo tacitè concedunt, carnes comedere ante diluvium, fuiſſe licitum: quod in Sacrificia ab iisdem adhibitas eaſdem aſſerant. Denique, qui animalia *immunda* inde ita dicta putant, quod reliqua invaſerint & comederint; illi eruditam proponunt conjecturam, & cum iſtam non ſatis probent, nihil inde noſtræ decedit ſententiæ. *Theodoretus* quæſt. 55. in Gen. inquit: DEUS animalium quædam voluit haberi immunda, quædam munda *ut immunda, eo ipſo quod eſſent immunda, adorare perhorreſcerent*; munda vero, quod & ad eſum hominis & ad Sacrificia mactarentur, pro Diis colere erubeſcerent.

§. XXI. Præter argumenta hactenus allata, adhibentur & alia: in quibus afferendis, ut breviores ducamus lineas, neceſſitas jubet. Cum & alii in iis urgendis ſatis fuerint prolixi. Elegans admodum argumentum eſt, quod deſumunt *ex ſacrificiis ante-diluvianorum.* Scilicet uti certum eſt, viros ante diluvium jam Deo obtuliſſe Sacrificia; ita nec minus inde certum eſſe ajunt, more vetuſtiſſimo, reſiduas carnes fuiſſe comeſtas. Quod conſtet loco 1. Cor. IX. 13. Ubi apoſtolus non de facto loquatur,

ſed de jure. Neque ſecus fieri potuiſſe, niſi ſummum ſimul myſterium â ſacrificiis ante-diluvianorum voluerimus ſejungere. Quæ inter alios prolixè deducit *Heideggerus* l. c. Equidem ubi videmus, quod *Porphyrius* in toto ferè libro II. περὶ ἀποχῆς nihil aliud agat, quam ut doceat, Sacrificia cauſam ſuppeditaſſe necandorum animalium; itemque quod injuſtè & pesſimè in Sacrificia offerantur animalia, (prout id jam ſupra ex eo oſtendimus): tunc ominari facile quis poterit, & illum jam advertiſſe connexionem quaſi quandam in eo, ut *quod in ſacrificium offerretur, idem & ab hominibus in cibum adhiberi poſſit.* Quæ procul dubio quoque cauſa eſt, quod, cum *Apollonius* admodum improbaret carnium eſum, idem quoque ægrè ferret, ſi oblata videret in ſacrificia animantia. Quod confirmat ejus cum Babyloniorum Rege congreſſus, & habita cum Sacerdote quodam Ægyptio diſceptatio. Nam templum ingresſus, cum videret, Tauros & animalia cætera quæ ſacrificii cauſa ducebantur; minimè hæc laudabat, indignaque conviviis Deorum aſſerebat. Et interroganti ſacerdoti, quod talia ſacrificaretur: imò potius, tu velim mihi dicas, regerebat, quid cauſæ ſit, quare talia in Sacrificium offeras. Cumque Sacerdos diceret: quis adeo idoneus eſt, ut Ægyptiorum inſtituta valeat emendare? Quilibet ſapiens, inquiebat idem Apollonius; ſi modo ab Indis veniat. Prout hæc docet *Philoſtratus* in vita Apollonii, Lib. V. c. IX. p. m. 231. ſq. Conf. & quæ Lib. I. c. XX. habet, & *Diog. Laërtius* in Pythag. pasſim. Videre eſt inde, quod jam illi Philoſophi obſervarint, *facilem eſſe â Sacrificiis animalium ad illorum eſum tranſitum.* Idque ex ſuprà dictis adhuc patet luculentius, quomodo ſtringant cæteroquin argumentum pro eſu carnium ante diluvium, ex more ſacrificandi deſumtum. Accedit, quod vix perſuadere mihi posſim, talia Deo oblata ante diluvium fuiſſe, qualia in ſuos convertere cibos non licebat ante-diluvianis.

§. XXII. Multi quoque pro adſtruendâ ſententiâ noſtrâ, ad id provocant: Plane inconveniens eſſe, ſtatuere, humanum genus, per lapſum non in pejora, ſed in meliora ruiſſe. Quale quid admittendum tamen foret, ſi quis pro contrariâ dicat ſententiâ. Sed, cum idem argumentum jam ſupra attigerimus, nolumus idem hic repetere denuò. Reſtat autem, ut & illud tangamus, quod ex capite *geſtatarum ante diluvium veſtium pellicearum* urgent. Nam cum DEUS ipſe primò lapſis noſtris Parentibus, confectas ex pellibus veſtes offerret, adeòque oſtenderet, quibus ſe permittente uti in poſterum liceret; neque tamen credibile ſit, homines diſcerpta â cadaveribus extinctorum brutorum tegmina ſibi applicuiſſe: tum omninò ita erit argumentandum, *Homines, ubi veſtibus indigerent, animalia mactaſſe, illorumque pelles dein in veſtes aſſumpſiſſe.* De reſiduâ vero carne admodum probabiliter concludere videntur, illam non abjectam; ſed in eum converſam eſſe uſum, ad quem maximè erat accommodata, ſcilicet in cibum. Cum vero hoc ipſum pro actuali comeſtione carnium pugnet maximè: tum non adeò idem urgebimus, niſi quod & omnino ſequi videatur, cum ita conceſſa ſit homini cædes animalium, ut illorum pelles adipiſcatur: neque interdictum reperiamus eſum carnium, eundem cædem quoque talem exercere potuiſſe, ubi lubitum fuerit, eorundem veſci carnibus. Unde & eſt, quod, qui carnem averſati fuerunt, maximè quoque recuſarent, pellibus veſtiri animalium. Quod ipſis conſequens eſſe videretur, qui jus habet mactandi animalia, & pellibus eorum utendi; eum & jus habere, eadem mactare, ubi ex re viſum eſſet, eorumque carnem in cibum adhibere. Videmus id in *Pythagora*. De hoc enim conſtat, quod non veſtes modo ex morticinis animalibus non geſtarit, uti teſtatur ſub initium Lib. I. c. I. *Philoſtr*. l. c. & lib. VI. c. VI. p.m. 273. Quod totum corpus â veſtibus ex materiâ morticinâ confectis intactum reſervaverit. Sed non ſolum hæc recuſabat,

bat; verum in universum omnes pelles animalibus detractas. Id ex *Jamblicho* de vita Pythagoræ *Menagius* docet, ad Pythagoram, in *Diog. Laërtio*, Segm. 19. p.m. 360. κωδίοις ȣ̓ χρῆσθαι, *villosis pellibus non uti* Pythagoram. Scilicet ut vestimenta inde sibi confici permitteret, de quibus locutus fuerat. Potius ut in ejus vita testatur *Laërtius*, στολὴ αὐτῷ λευκὴ καθαρὰ καὶ στρώματα λευκὰ ἐξ ἐρίων. i. e. *Stola ipsi erat candida, munda, & stragula candida ex lana.* Quod nimirum lineorum usus nec dum ad istæc loca pervenerat. Conf. ad hæc *Laërtii* verba *Is. Casaubonus*. Adeo illi qui carnem non edebant animalium, pariter neque pellibus eorum vestiebantur: &, si tum quem adverterent, qui pellibus uteretur pro vestimentis, facile concludebant, eum nec carnes aversari. Quod illis videretur parum differre, qui Jus sibi sumeret animalia mactandi, eum quoque Jus habere eadem comedendi. Neque adeò improbabiliter & nos concludimus, illos *qui poterant pellibus uti animalium, pariter quoque carnibus illorum Jure vesci potuisse.* Si accedant præsertim ea, quæ jam sub initium hujus §. monuimus. Quando verò idem hoc ulterius exinde probare satagunt, quod metuendum omnino fuisset, ne non in tantam excresceret multitudinem animalium copia, nisi Jus habuissent ante diluvium eadem & mactandi, & mactata in suos usus convertendi, ut vix tolerari potuissent: id idem jam supra quoque tetigimus. Et adeo adhuc persuasi sumus, firmo satis niti talo, quæ de licito carnium esu crediderunt plurimi. Prout autem facile patimur, quemque hîc suô abundare sensu: ita neque dicam scribemus secus sentientibus. At, cum hactenus ita mentem nostram exposuerimus; iuvabit tamen & aliorum audire rationes. Ut, hisce cum nostris collatis, nostra sententia eo magis explicetur. Ita tamen fiet, ut & tum cuivis integrum relinquatur, in eam inclinare sententiam, quæ ipsi visa fuerit magis probabilior.

CAP.

CAP. III.

Argumentum.

(1.) Argumenta contraria ex Genes. I. quem valorem habeant? (2.) an admitti possit, quod esus carnium humanæ naturæ refragetur? & Plutarchi verba, hac de re, quantum habeant veritatis? (3.) an inde constet, illicitas fuisse carnes, quod viri ante diluvium iis abstinentes, longævi admodum fuerint; citius vero obierint, qui post istud, iisdem usi fuerunt? seu an abstinentia â carne causa fuerit Longævitatis Patriarcharum? (4.) quod negatur. (5.) an propter esum carnium vita hominum post diluvium tantò sit brevior? quod itidem negatur. (6.) aliis objectionibus occurritur.

§. I.

PLerique olim, quibus contrarium asserere placuerat, maximum suæ sententiæ & firmissimum fundamentum quærere solebant in aliquibus scripturæ dictis. Ita provocabant ad Genes. I. 29. & 30. ubi, cum DEUS de alimento, quo ad vitæ conservationem indigerent, prospicere vellet primævis hominibus; nullam prorsus mentionem faciat carnis animantium: ut sine dubio facturus erat, si eam hominibus in alimentum concedere voluisset. Deinde, cum DEUS homini ê Paradiso ejecto, noluerit potestatem dare, melioribus dapibus mensam instruendi; sed contra in admissi peccati pœnam, difficilem ipsi victus rationem esse voluerit: tum divinum Numen terram, quæ omnia ante sponte fuisset productura, ita maledictioni subjecerit, ut non nisi cum sudore vultus, victus ex eâdem proveniret. Quod doceat Gen. III. 17. sq. Illud vero nequicquam de concessæ in bruta potestatis augmento testari.

Sed

Sed cum ipse, qui noviter idem defendere voluit, fassus sit, non sufficientem esse probationem, quæ ex tribus primis Geneseos capitibus desumatur: quod videret forsan motis ex hisce capitibus dubiis dudum ita esse satisfactum, ut temerarium fuisset denuo ad istæc recurrere. Hinc, quamvis & nos potuissemus prolixè in hisce locis vindicandis versari; minimè id necessum esse putamus. Quod proprio illius consensu, qui contrarium urget, nihil in istis pro adversâ sententiâ sit subsidii.

§. II. Id vero, quod primi homines carne abstinuerint, adeo certum evictumque Ipsi est, ut credat: neminem in dubium hoc vocaturum, qui rationes probe ponderare novit. Quamvis autem hactenus non pro actuali carnium esu pugnaverimus, ut videri possit, hæc admitti posse, salvâ nostrâ thesi: additæ tamen rationes ejusmodi sunt indolis, ut si istæ fuerint admissæ, nostra sententia hactenus defensa multum videri possit infirmior. Ita enim certum esse, inquit: *carnium esum humanæ omnino naturæ refragari.* Ad quod probandum, *Plutarchi* verba in subsidium vocat, quem Orat. I. de esu carnium p. 994. sqq. ita disserentem adducit: *Non à natura hominem hoc habere, ut carnes edat, primum ipsa corporis humani demonstrat constitutio. Non oris uncus, non unguis acumen adest, non dentium asperitas, non ventris robur, non calor spiritus, quo subigere & mutare possit carneam molem. Sed jam tum ipsa dentium lævitate, oris exiguitate, linguæ mollitie & spiritus ad concoctionem imbecillitate, esum carnium ejurat. Quod si contendis, te natum esse ad hoc cibi genus sumendum. Primum quod vis edere, ipse interfice; idque tuâ solius operâ, non secespitâ utens, non malleo, non securi. Sed, sicut lupi, ursi, & leones ipsi necant, quæ vorare volunt; ita tu morsu bovem, aut ore suem neca, ovemque aut leporem irruens, in vivum etiamnum diripe, sicut istæ feræ. Sin exspectas dum moriatur, vererisque præsentem animam è carne expellere; cur contra naturam edis id, quod animâ est præditum? Imo nemo animâ cassum & mortuum animal*

ita edit, ficut eſt. Elixant, aſſant, ignis & condimentorum ope mutant, cædemque innumeris medicamentis amoliuntur, ut guſtus deceptus alienum alimentum admittat. Hactenus verba *Plutarchi.* Quando adeò, qui hæc pro contrariâ ſententia dixerat, ſe hæc *propriis ipſius Plutarchi verbis* confirmaturum præmiſerat; tum facilè quis in eam incidere poſſet opinionem, ac ſi ea quæ â *Plutarcho* prolata ſunt, talia tantique momenti eſſent, ut nemo contrarium aſſerere amplius auderet. Certè magni debere æſtimari *Plutarchum*, pro certo nobis eſt: & recte pronunciaſſe *Dan. Morhofium*, Tom. II. Polyhiſt. lib. I. c. 7. §. 7. p. 35. ipſius induſtriâ multa nobis conſervata eſſe, in illis quoque, quorum alias non ſupereſſet memoria. Sed ut in præſenti ipſi aſſentiamur, non neceſſum nobis videtur: quamvis duabus de carnium eſu orationibus nihil agat aliud, quam ut eum licitum eſſe, inficias eat. Cujus vero argumenta ejus momenti ſint, conſtabit; ſi, uti ex ungue Leonem, quod ajunt, ita ex illis quæ ſub initium orationis primæ habet, cognoſcamus, qualia ſint, quæ pro negatione eſus carnium affert plura. Nam cum de iis, qui primo carnes comedere aggresſi ſunt, p. 993. dicat, *quod omnem fortaſſe culpam in inopiam conjecerint*; tum eos de ſui ævi temporibus introducit loquentes, *Beata iſtæc prædicando, quod omnium rerum abundantiâ florerent, quibus homines potiri ac luxuriari poſſent absque ulla pollutione.* Se contra infelices æſtimando, utpote εἰς πολλὴν καὶ ἀμήχανον ἐκπεσόντας ὑπὸ τῆς πρώτης γενέσεως ἀπορίαν, i. e. *in magnam & difficilem primi ortus inopiam incidentes.* Ubi nondum Sol ſuo loco fixus hæſerat, nondum certum curſum conficiebat, nondum ortus occaſusque ejus definitis diſtinguebatur limitibus: ubi terra fluminum incompoſitis eluviis vaſtata erat, multa ob paludes informia, cœnô altô, ſaltubus infrugiferis & ſylvis erant inculta. Imò ad producendos mites fructus nullum ſuppetebat inſtrumentum, nulla ſapientiæ machina. Unde nec mirum, ſi animalium carni-

carnibus usi fuerint præter naturam. Hæc & talia sunt pleraque *Plutarchi* in duabus his orationibus. Quæ sua sponte concidunt, & quæ adduxisse sufficit, ad indicandam eorum futilitatem. Et plura forsitan ejusdem commatis superessent; ni pars aliqua posterioris orationis interiisset. Sed ut jam videamus, quæ ex eodem adversus nos producuntur; notabimus, quæ illis vis insit, pro stabiliendâ sententiâ contrariâ. Ubi quidem *primò* notamus, *Plutarchum* nequicquam respectum habuisse ullum distinctionis temporum ante-diluvianorum & post-diluvianorum; sed in genere omnem carnium esum tanquam naturæ humanæ adversum, & consequenter omnino illicitum, ostendere voluisse. Jam verò cum ipsi, qui cæteroquin adversam nobis sententiam defendunt, concedant, jam post diluvium licitum carnium esum; nescio quid pro ipsis facere debeat *Plutarchus?* Aut enim per hæc *Plutarchi* verba admittendum esset, quod nec ante diluvium licuerit, nec hodie post illud liceat carnibus uti: aut nihil prorsus valebit hæc argumentatio. Jam, cum alterum ipsi negent, qui contrariantur nobis; nescio, quomodo hæc *Plutarchi* verba pro suâ urgeant sententiâ. Quamvis vero *secundò* Plutarchum probare velle, quod esus carnium non quadret cum naturâ hominis, concedendum sit; potius tamen annititur, eorum sententiam destruere, qui ajunt: *naturam humanam necessariò requirere talem carnium esum.* Quale quid nec nos asseruimus hactenus. Quod vero hic sit ejus scopus, hæc mens, hæc intentio; satis inde patet, quod, cum plura præmisisset, hanc deinceps formet occupationem: esse scilicet quosdam, qui dicant: *ἄρχην ἔχειν τὴν φύσιν, â natura esse initium,* sc. *esus carnium.* Quibus dein opponit, quæ allata ante sunt. Et patet idem amplius exinde, quod subjungat: *εἰ δὲ λέγεις, πεφυκέναι σεαυτὸν ἐπὶ τοιάυτην ἐδωδὴν*; i. e. *si verò dicis, te ipsum natum esse ad illud cibi genus &c.* Quid quod *tertiò* facile esset, Plutarchum cum se ipso collidere, & monstrare, *non satis*

sibi ipsum constare in hoc argumento. In nostro enim loco admodum urget, *pugnare esum carnium cum natura humana:* sed paulò ante p. 994. idem dixerat, *nolle se hæc adeò urgere; sed injuriam tantum semotam cupere.* ἵνα inquit, φάγῃς, ἀπόκτεινον. ἵνα δὲ ἥδιον φάγῃς, μὴ ἀναίρει: i. e. *Interfice, ut cibum habeas; noli interficere, ut suavius edas.* Quod idem etiam concedere videtur sub initium Orationis posterioris, ubi p. 996. ait: ἐδώμεθα σάρκας, ἀλλὰ πεινῶντες, οὐ τρυφῶντες. ἀναιρήσωμεν ζῶον, ἀλλ' οἰκτείροντες καὶ ἀλγοῦντες, οὐχ ὑβρίζοντες οὐδὲ βασανίζοντες. i. e. *Edamus carnes; sed esurientes, non luxuriâ impulsi: occidamus animal, sed miserantes & dolentes; non insultantes & excruciantes.* Denique *quarto* quamvis jam satis constare puto ex dictis, nec quicquam hæc facere ad probandum, quasi non licuerit ante diluvium carnes comedere: tamen brevibus indicabo etiam, nec humanæ naturæ unquam contrariari, *carnibus vesci.* Quicquid enim Plutarchus crepet, prostant tamen permissiones divinæ sat perspicuæ de hoc carnium esu, & exempla virorum maximè proborum: ut non liceat adeò admittere, quasi humanæ naturæ contrariaretur, iisdem vesci. Quomodo enim DEUS concederet Sanctissimus, ut id absque crimine agerent mortales, quod convenienter agere non possunt? Quæ vero Plutarchus de hominum constitutione subjungit, quasi hæc talia non admittat; nullius sunt momenti. Etenim & experientia docet, & medicorum Filii asserunt, & aptum satis esse hominem ad hunc carnium esum: nec tam destruendæ, quam conservandæ hominum valetudini hunc admodum inservire. Quod vero homines non æquè ac bruta carnivora, in viscera brutorum non coctorum sæviant; neque id evincit, cum natura hominum hæc pugnare. Concessit enim divina benignitas humano generi ea sufficienter, quæ conducunt, ut caro ad cibum reddatur aptior. Quid quod Dominus *Puffendorff.* lib. IV. cap. 3. §. 4. de J. N. & G. adducat, ex *Rochefort* in descriptione Antillarum part. I. c. 18. & part. II. c. 11. accolas

freti

freti Davis, crudis quoque carnibus ac piſcibus delectari. Non autem opus videtur eſſe, ut prolixiores hîc ſimus. Cum jam ſatis conſtet, hæc Plutarchi verba nil quicquam probare ea, quæ erant probanda.

§. III. Dein, quamvis qui pro ſententiâ pugnat contraria, concedat, *Eſum carnium uſu veniſſe non demum poſt diluvium*; ſed jam ante iſtud, a Cainitis carnes fuiſſe uſurpatas: qui adeò & Sethitas tandem ad iſtum ſimul morem incitarint. Eos tamen peſſimè omnino ſibi conſuluisſe credit, quod *carne utentibus non tam longa contingeret vita*, quam qui contenti vivunt fructibus ex terra prodeuntibus. Adeòque non licitas fuiſſe carnes probat ex eo, quod viri ante diluvium, qui iis abſtinuerint, ad ſeros annos vitam potraxerint: citius obeuntibus illis, quibus dein volupe erat, carnibus veſci. Idem vero & aliis, jam ante ipſum, placuiſſe video, quod abſtinentia â carnium eſu multum conducat vitæ prolongandæ; *Curcellæo* ſc. lib. 2. l. c. Ita Zenonem Cittiæum nonageſimum octavum annum impleviſſe: Paulum Eremitam centeſimum decimum tertium: & Eſſenorum plurimos, (teſte *Joſepho* de bello Judaico lib. 2. c. 12.) centeſimum ætatis annum excesſiſſe. Enimverò, id facile conceſſerim, Cainitas non modo, ſed & Sethitas carnes olim comediſſe: ſed quod id non jure fecerint, & peſſimè inde ſibi conſuluerint, hoc eſt, quod non omnino approbamus. Nec ratio, quæ ſubjungitur, idem videtur evincere: quaſi ſcilicet divinum Numen, ut de ſuâ tantò firmius conſtaret voluntate, vitam iis conceſſerit longiorem, qui carnibus abſtinerent, breviorem vero, qui iis veſcerentur. Ubi id quidem omnino verum eſſe credo, homines iſtos primævos ad grandem ætatem perveniſſe. Ut rectè Jacobus exclamaverit, jam centum & triginta annos natus, *paucos & malos eſſe dies vitæ annorum ſuorum, neque attingere dies vitæ Patrum ſuorum*, Geneſ. XLVII. 9 Illud enim oppidò quam falſum eſt, per annos ipſos Lunares intelligi

 debere

debere: ſeu tales, qui paululum excederent menſtruos, ita, ut deni ex illis, unum annum ſolarem confecerint. In quâ ſententiâ tamen jam *B. Auguſtini* ætate aliquos fuiſſe, haud obſcure ex lib. ejus XV. cap. 12. ſq. de Civitate DEI colligitur. Cum non videamus ullam rationem, quæ nos urgeat, ut â recepta annorum numeratione recedamus. Præſertim, cum & menſium fiat mentio, ſcilicet ſecundi, ſeptimi, decimi &c. menſis, cap. VIII. Geneſ. ubi etiam mentio fit diei decimi ſeptimi menſis ſeptimi, verſ. 4. & vigeſimi ſeptimi menſis ſecundi. Quæ omnia evincunt, non poſſe intelligi annum aliquem menſtruum. Cum in unius menſis iſtius anni recenſione, mentio fiat diei vigeſimi ſeptimi. Quin imò ſequeretur cæteroquin, quosdam ex iis, qui ante-diluvium vixerunt, annos vix ſeptem natos, liberos genuiſſe. Ita de Mahalaële, cujus Geneſ. V. 5. mentio fit, cum Jaredum anno ſexageſimo quinto generaſſet, ſequeretur, quod juxta iſtum annorum computum, nondum Septenarius generaſſet. Quale quid etiam de Henocho eſſet concedendum. Neque hic admittenda ſunt, quæ habet LXX. Interpretum verſio: quæ aliquibus, ne hoc concedere opus eſſet abſonum, adjecit centum annos, ubi mentio de iis fit, quod liberos generarint. Quod jam l. c. notaverat *Auguſtinus*, & poſt eum, plures alii. Id quidem adeo indubium eſt, viros ante-diluvianos grandem conſecutos fuiſſe ætatem. An vero id ipſis obtigerit, quod in abſtinentiâ a carnibus cauti fuerint; id non facilè admittendum eſſe puto. Curioſi cæteroquin ſunt, in cauſas inquirendo longævitatis Patriarcharum. Plerasque, quæ cæteroquin afferri ſolent, ſententias congesſit in ſuis ad Geneſin Comment. *Pererius*, lib. VII. Diſp. de longitudine vitæ priſcorum hominum ante-diluvium, Quæſt. III. p. m. 249. Septem nimirùm cauſas recenſet ex pluribus. Non injucundum forte erit, brevius contractas easdem apponere. *Prima* ipſi eſt *bonitas conſtitutionis*: quod natura recens â DEO facta, in-
tegra

tegra esset, firma ad se ipsam conservandum, fortis ad resistendum rebus contrariis: nec dum tot morbis fracta & vitiata. Altera ipsi est *sobrietas & continentia* in victu & potu. Varietatem enim, mixturam, & condimenta ciborum vitam debilitare, & minuere. *Tertia* causa ipsi est, *alimentorum præstantia:* ob eximiam bonitatem & feracitatem terræ ante diluvium, post quod terrâ nascentia multò sint imbecilliora & deteriora facta: cujus rei argumentum sit concessio carnium in esum â DEO facta homini post diluvium. *Quarta cognitio & solertia rerum*, quæ facultatem haberent conservandi & producendi vitam humanam. *Quinta* ipsi est *siderum influentia. Sexta, ut* per longævitatem illorum hominum *multiplicaretur tanto amplius humanum genus*, quod in exordio mundi erat necessarium. *Septima* ipsi causa est, *ut* homines diu viventes *possent reperire artes* & scientias, ad necessitates & utilitates vitæ humanæ, & ad perfectionem intellectus humani plurimum conferentes: quæ tamen non nisi longissimi temporis experimentis & observationibus reperiri possint. Non opus est omnes hîc recensitas causas sub incudem revocare, quantoperè vel veræ sint vel falsæ. *Alteram* saltem & *Tertiam* nunc inquiremus, ad nostrum hunc scopum maximè facientes. Scilicet *altera causa* prolongatæ Patriarcharum vitæ, Pererio est *sobrietas & continentia in victu & potu.* Quamvis autem negari non possit, eos qui sobriè & temperanter vivunt, suæ vitæ non parum consulere: tamen, quod eadem efficere possit, ut homines per aliquot secula vitam ulterius protrahant, id est de quo experientia contrarium testatur in hominibus maximè temperanter viventibus. Quin imo cum nec ante diluvium omnes æquè temperanter vixisse, sed multos suo quoque genio tum indulsisse, sit credibile, qui nihilominus tamen idem ætatis fastigium ascenderunt; facile patet, *Temperantiam non esse veram* aliquam *causam tantæ Patriarcharum longævitatis.* Quod verò *Tertiam* causam

atti-

attinet, quam adducit, ſcilicet præſtantiam alimentorum ob eximiam bonitatem & feracitatem terræ ante diluvium; poſt quod Terra multo facta fuerit deterior: unde & DEUS poſt diluvium conceſſerit humano generi carnem, ut eâ veſceretur. Tum hæc ultimatò idem innuere videtur, quod ea, de qua jam diximus ante; ſcilicet, quaſi homines, ante diluvium natis è terrâ frugibus contenti, & carnibus abſtinentes, vitam inde ſuam tam diu protraxerint: dum præſertim acceſſerit eximia iſtorum alimentorum præſtantia. Quæ tamen vera cauſa eſſe nequit. Cum jam poſt lapſum ſtatim in pejus abierit terræ conditio: non tum demum, ubi exuberantibus diluvii aquis, ſalſedine iſtarum aquarum fuerit inquinata magis reddita. Coincidit adeo cum his â Pererio allegatis cauſis ferè ea, quam adducit qui noſtræ adverſatur ſententiæ: quod abſtinentia â victu carnium, in cauſa fuerit prolongatæ ante-diluvianorum vitæ.

§. IV. Neque vero credibile eſt, ſolam hanc â carne abſtinentiam, efficere potuiſſe, ut tot Secula vitæ ſuperaddat homo. Cum inter illos, qui ſollicitè poſtea carnes averſabantur, nemo ultra communem vitæ terminum vitam extenderit. *Pythagoram* hîc denuo allegaſſe juvabit: qui, quamvis in abſtinendo â carnibus facile primus ſit, non tamen ultra nonageſimum ætatis annum vixit: ut multi aſſerunt. Quin juxta *Heraclidem Serapionis filium*, octogeſimo ætatis anno mortuus eſt: referente *Laërtio* in Pythag. ſegm. 44. Ita ejus ſimia, ut vulgò audit, *Apollonius* juxta plurimos, vix octogeſimum annum egreſſus eſt vitæ: *Philoſtratus* in ejus vita, Lib. IIX. c. XII. p. m. 428. Quin, etiamſi aliqui circa centeſimum annum exſpirarint, idem argumento eſt, ſolam hanc â carne abſtinentiam non poſſe eſſe cauſam tantæ ante-diluvianorum longævitatis. Imo, quod de *Zenone Cittiæo* adducitur, eum anno nonageſimo ſecundo obiiſſe, id non adeo certum eſt. Etſi enim aliqui id referant,

rant; ex *Persæo* tamen adducit *Diog. Laërtius*, quod ſeptuaginta duos annos natus, ê vitâ migraverit. Quamvis hæc ipſe haud facile approbare poſſim. Cum in *Epiſtola ad Regem Antigonum* miſſa, de ſenectute ſua conqueratur, quod jam eſſet octogenarius. Utut autem hæc cum reliquis ita ſe habeant: nihil tamen, ut ex jam dictis patet, faciunt pro ſtabiliendâ ſententiâ contraria. ideò præſertim, quod de Cainitis ipſe concedat qui nobis adverſus eſt, eos carnes comediſſe. Jam vero, ſi eſus carnium vitam redderet tanto breviorem, illi ſane citius debuiſſent occumbere: at de iſtis longè nos aliter ſumus perſuaſi. Unde ſua ſponte ſequitur, non poſſe culpam carni tribui, quod vita hominum non ulterius extendatur: nec cauſam longævitatis poni in ſola â carnibus abſtinentiâ. Et fuerunt profectò cauſæ longè diverſæ: quas videre licet apud eos pluribus, qui de *Longævitate Patriarcharum* ante diluvium ſcripſerunt.

§. V. Prout autem qui hîc nobis contrariam alit ſententiam, abſtinentiæ â cibo carnium tribuit prolongatam ante-diluvianorum vitam: ita idem iſtud adhuc inde confirmari poſſe putat, *quod homines poſt diluvium*, ubi dentes in carnes animalium ſtringerent, *citius obierint*. Quaſi vero ex jure quodam talionis illis conveniat, qui filum vitæ animalibus abrumpunt, ut iterum citius pereant, & ante quam experturi mortem fuiſſent, ſi carnibus abſtinuiſſent. Equidem qui in cauſas abbreviatæ hominum vitæ inquirunt, varias easque diverſas recenſent. Quas inter facilè eminet, quod cum ante-diluvianis hominibus vita contigerit longior, qua promisſio in Paradiſo facta penitius cognoſci, & liberis tanto certius contra quasvis Satanæ machinationes conſtare poſſet: accipientibus eam ab iſto ipſo, qui αὐτήκοος & αὐτόπτης fuerat, aut ab ipſis, qui eum loquentem audiverant. Nec opus fuerit tantâ longævitate: cum, iſtâc in animis hominum corroboratâ, myſterium hoc fidei breviori vitæ ſpatio comprehendi & cognoſci po-

tuerit. Accedit, quod elegans tum emerserit oralis traditionis subsidium, ubi istas saniores doctrinas, literis mandare & posteris tradere didicerant: quale urget etiam sæpe iam citatus *Heideggerus*, l. c. *de Longævitate Patriarcharum*. Ast quod usus carnium causa quædam vera sit, id non temerè asserendum puto. Nam ut ex dictis patet, causæ prostant aliæ, eæque graviores. Dein itidem jam ex dictis constat, Cainitas quoque carnibus fuisse usos: de quibus tamen certum est, quod æquè longam vitam egerint, quam Sethitæ. Accedit, quod & post diluvium aliqui ad seram ætatem pervenerint, de quibus probari non potest, quod carnibus abstinuerint. Et quod nec illi, ut jam diximus, vitam ad ætatem ante diluvianorum produxerint, qui nihil maiori curâ egerunt, quam ut carnes aversarentur maximè. Videmus adeò argumentum ex Longævitate ante-diluvianorum, & brevi eorum vita, qui post diluvium floruerunt, nihil omnino probare. Sive quis inde concludere velit, illos abstinuisse ab esu carnium, & hos contra easdem adhibuisse in cibum: sive quis exinde defendere annitatur, non jure carnibus uti potuisse homines. quod DEUS velit tanto citius occumbere, quanto minus sibi religioni ducant, fercula carnium appetere. Cum præsertim vix ullus unquam negaverit, concessisse divinum Numen post diluvium carnium esum. Ut irrefragabile adeò Jus sit mortalium, post diluvium carnes comedere: nec adeo dici possit, vindictam diminutæ vitæ in eos cadere, qui ab iisdem abstinere noluerint. Quando vero ulterius additur ex parte contrariâ, *carnem putredini & fermentationi admodum inservire*, ut chilus inde & constitutio corporis corrumpatur. Tum hanc rem medicis & physicis relinquere facile possumus. quod stabilitam jam satis credamus nostram, de licito ante diluvium carnium esu, thesin. Attamen illud ex *Galeno* adducit *Gerh. Joh. Vossius* de Theol. Gentili lib. III. cap. LXV. p. m. 1075. quod *caro imprimis suilla admodum nutriat & corroboret.*

Et

Et ex *Artemidoro* lib. I. c. LXXII. ἄριστα πᾶσι τὰ χοίρεια. καὶ γὰρ εἰκός. ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος οὐδὲν εὔχρηστος ἀνθρώποις, ἀποθανὼν δὲ, μᾶλλον ἐδώδιμος τῶν ἄλλων. i. e. *optimæ omnibus ſunt carnes porcinæ: atque id veriſimiliter. Porcus enim vivus, hominibus nullius eſt utilitatis: mortuus vero magis aliis eſui eſt idoneus.* Notabile præterea eſt, quod *acta eruditorum* hujus anni 1709. menſe aprili pag. 160. referant ex *Dn. de Fontenelle* Hiſtoire du renouvellement de l' Academie Royale des Sçiences. Scilicet *Dionyſium Dodactum*, ut propriô diſceret experimentô, quantum per tranſpirationem, in Medicorum decantatam ſcholis, humano corpori decederet, a. 1677. initio ſolennis Jejunii quadrageſimalis, 116. librarum uniusque unciæ pondo ſemet deprehendiſſe adæquare. Cumque deinde nonniſi leguminibus veſceretur, & præter aquam & panem, ad victum nihil adhiberet; ſub ipſum Paſchatis feſtum, ad libras 107. & 12. uncias ſe decreviſſe intellexiſſe: amiſſâ intra dies quadraginta & ſex, decimâ quartâ ſubſtantiæ ſuæ parte. Sed audiamus etiam *Pererium* l. c. p. 369. ubi, cum recenſuiſſet eorum opinionem, qui cenſent, plantas eſſe melioris & utilioris alimenti, quam carnes; eam falſam eſſe, inquit. *Quod contrarium ſuadeat ratio, experientia, & exempla. Ratio* inquit, *docet, unumquodque rebus maximè ſimilibus ali. Siquidem alimentum in id, quod alitur, commutari debet. Inter ſimilia verò facilior eſt transmutatio. Concoctione alimenti etiam id agitur, ut tandem efficiatur alimentum ei, quod ali debet, quam ſimillimum. Carnes autem animalium ſimiliores ſunt humano corpori, quam natura plantarum. Deinde optimum eſt alimentum, quod temperatè calidum & humidum eſt. Quale ſuppeditant carnes pleræque; nequaquam vero plantæ. Verum eſſe* addit, *quod dicitur: Quod ſapit, nutrit. Carnes autem melioris eſſe ſaporis, neminem negare.* Inſuper *plenius, ſalubrius, ac ſolidius alimentum ſuppeditare carnes, quam plantas. Quod ægrotorum exemplo conſtet: quibus ut*

H 2 conſe-

concedentur carnes, ita fructus & olera vetantur. Quæ omnia fusius deducit l. c. *Pererius.*

§. VI. Unde, etsi concederem, homines ante diluvium ordinarie non in cibum adhibuisse carnes. Tum quod simpliciori victu delectarentur: tum quod magis paratus ad esum prostaret cibus. Nihil tamen impedit, quo minus jus illorum perstet integrum: ut, ubicunque libuerit, comedere carnes potuerint. Quin facit ad hoc illustrandum potius, quam ut nobis obsit. Saturni temporibus, ætate nimirum istâc aureâ, non comestas fuisse carnes, juxta Gentilium effatum. Ut adeò nec temporibus Noachi statim jus suum, quod in animalia mortales habebant, exercuerint. Saturnum enim Gentilium, esse Noachum nostrum, ad oculum demonstravit *Sam. Bochartus*, in Geographia Sacra l. I. c. I. Denique quod de populis barbaris additur, eos potius, qui primæ simplicitati student, lacte & terræ frugibus uti, quam ut carnibus delectentur. Id non adeò universale est, ut non interdum etiam deprehendatur contrarium. Et quamvis id semper contingeret; culpa tamen non tam in defectum Juris, quam in exercitii defectum, aut fortè in ignorantiam juris esset conjicienda.

TANTUM!



DOCTISSIME SCHARBAVI,
AMICE PERDILECTE,


A fuit hactenus ratio studiorum & vitæ tuæ, quam sectaris, dum in ædibus meis & convictu versatus es; ut sine fructibus exoptatis esse nequeat. Nam & prudenter, quæ ad scopum tuum pertinent, elegisti, & cum laudabili constantia prosequeris sacratissimas literas, non ad futuras temporales necessitates, sed ad soliditatem, fundamentumque promovendæ gloriæ Dei: assiduus es legendo, auscultando, notando, colligendo, commentando, reliquisque officiis, quæ futurum Ecclesiæ ministrum præparant, ornant & complent, & inter hæc eâ pietate, & modestia cuncta agis, ut, quoties vel cathedram academicam, vel ecclesiasticam conscendis, admirentur, qui Te audiunt, reputantes, ê quam pio & placido animo se prodant thesauri rectæ & eruditæ mentis. Quamobrem etiam tantò lubentius Tibi gratulor de præsenti specimine eximio, novo commendationis meæ fulcimento, faxit Benignissimum Numen, ut & hoc, & quæ secutura sunt deinceps, in gloriam suam vergant; Teque indies magis magisque ornet, præparet, doceat, illuminet & sanctificet, ut Ecclesiæ Patriæ, quam divina Benignitas porrò tueri velit & omni genere bonorum spiritualium clementissimè beare, aliquando & doctrinâ & exemplo prodesse queas, de quo uti non dubito, ita TU Ipse, divina allucente gratia conniteris, ut spem radicatam expleas. Dedi è musæo

TUI

amantissimus

Michael Förtsch, Theol. D.
Prof. Primarius.

VIRO

VIRO Juveni literatissimo

HENRICO SCHARBAU,

Philosophiæ Candidato dignissimo

PRÆSES.



Erissimè quidem è Coccejo adducis, Judæos, κρεωφαγίαν *Adamo minimè concessam* fuisse, statuere. Cave tamen credas, id ipsum vel communi omnium approbari suffragio; vel sine formidine oppositi unquam esse allatum. Non est sententia totius Senatus; sed privatorum (*a*). Nec *Rabbi Jehuda* eam proposuit, Palæstinam incolens: sive filium *R. Illaai* intellexeris, quem, si sine restrictione per Patrem factâ exprimitur, indigitare solent(*b*); sive istum, qui *sanctus* cognominabatur aut *Princeps*. Verum *Rab Jehuda* Pombeditanus, R. Ezechielis filius, ac *Samuelis* Babylonii discipulus (*c*). Qui id nequaquam de sua aut Præceptoris proposuit sententia; sed ex mente *Rab*, magistro ejus Samueli ubivis ferme contradicentis. Ut adeò dubium sit, utrum ipse *Rab Juda* opinioni huic assensum præbuerit; an verò ut problema saltem promulgarit, altercandi oblaturus occasionem. Non deerant quippe illico, qui *pro esu carnis Adamo concesso* urgerent *Dominium*, eidem *in Pisces* atque *Aves* divinitus delatum (*d*): quod certe

(*a*) in Cod. *Sanhedrin* f. 59. b. adscribitur *Rab Judæ*: in *Breschith rabba*, Sect. 34. f. 38. c. 2. circa fin. *R. Jose*, qui id nomine *R. Johannis* vulgarit.

(*b*) Juchasin f. 60. a. ר׳ יהודה בר עילעי הוא ר׳ יהודה סתם

(*c*) Vid. *Kidduschin* f. 70. a. l. 21. sqq. f. 72. b. l. 1. sq. coll. *Halichoth Olam* p. 24.

(*d*) Cod. Sanhedr. l. c.

certe aliam ei non contulerit utilitatem, quàm ut iisdem uteretur in cibum. Utut enim non desint ibi, qui tàm pisces quàm aves, *homini ad operam conficiendam*, subjectos dicant: risu tamen potius videntur excipiendi, quàm consensu. Cum Rabba f. Rab Hunnæ *anseres* atque *gallinas* plostello jungens introducatur, *ad triturandum (e)*: & alius currui trahendo *capram* alligarit, & piscem שיבוטא *Schibbuta (f)*, thynnum quibusdam dictum; qui ad ripam natando, capræ in littore incedentis gressus æquarit. Ipsa Talmudistarum verba, Epitimatori forte non satis intellecta, afferrem; si vel hic locus caperet, vel Ipse argumentum hoc, *à Dominio in animantes*, omisisses. Nec prorsus nihil confirmandæ Tuæ sententiæ confert admirandus ille in creaturis producendis ordo, à Creatore adhibitus prudentissimo. Nihil legitur hic condidisse, quod non cibum, quo conservaretur, inveniret præparatum. Aves semina offendebant, quæ legerent; ut pisces, quas roderent, radices: aërem & aquam utrique, Solis radiis jam purificata. Cum *bestiæ* crearentur, jam undique herbæ atque gramina in terræ virescebant superficie: in quibus illæ lætæ pascebant, simul ac in lucem prodierant. Nec bestiæ hominem suo antecederent ortu, nisi mensam præbere debuerint convivæ mox secuturo satis instructam. Agnoverunt id Gentiles, Scripturam S. ignorantes. Τὰ Φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκα εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα τῶν ἀνθρώπων χάριν, rectè asserit Philosophus (g). At plura hujus generis argumenta in tractatione ipsa urges pressius. In quâ simul diluis, quæ *à vita hominum nunc abbreviatâ* afferri solent in contrarium.

Non

(e) Cod. *Bava mezia* c. VII. f. 91. b. l. 17.

(f) Vid. Cod. *Bava Kamma*, c. V. fin. f. 55. a. l. 24.

(g) Aristotel. de Republ. lib. 1. c. 8. post med. p. m. 405. B.

Non esus carnium hanc induxit varietatem: sed sapiens Conditoris providentia. Qui jam olim prævidit, tantam hominum futuram deinceps multitudinem, ut continuis exponerentur periculis, nisi antecessores citius spatium concederent successoribus. Ne nunc quidem illi ab his semper satis tuti sunt; quantumvis nondum sexagesimum ætatis annum attigerint. Quid non auderent, si plures viderent annos superare nongentos! Sed non hoc saltem, verum & reliqua speciem veritatis præ se ferentia, tibique adversa, antecessorum ope adjutus, doctè declinas: & hâc Tua ætate juvenili, in quæstione hâc ancipiti, abundè testaris, indole Te donatum, ad res sublimiores tractandas satis aptâ. Experiebar id ipsum, cum ante duos abhinc annos primùm mihi innotesceres. Haud diu enim cum aliis ejusdem signa tuebaris militiæ, cum brevi manifestis deprehenderim experimentis, Te minimè contentum esse, quotidiana cujusque explere officia: sed plus ultrà tendere, & ad sublimiora penetranda applicuisse animum. In quo proposito perrexisti huc usque gnaviter. Nec quicquam superest, nisi ut Deus benignissimus sanitatem, animique constantiam; Mecænates verò favorem & emergendi occasionem adspirent benignam. Quod ut largiter in Te effundatur, animitus apprecor. Dabam calamo ut nosti, accelerato, d. 10. Septembr. A. C. M DCC IX.

